MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81175-11

AUTHOR:

THEIS, JOHANN

TITLE:

DE EURIPIDIS HERACLIDIS ...

PLACE:

MONASTERII

DATE:

1868

Master Negative #

93-81175-11

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88EO
EZ

Theis, Johann.
De Euripidis Heraclidis ... Monasterii, ex typographia Aschendorffiana, 1868.
56 p. 22 cm.

Thesis. Münster. 1868
Volume of pamphlets

D88ED
~~Z8~~
~~v.1~~

~~Copy in Classics Reading Room.~~

46580

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 3-18-93 INITIALS Susan
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3 7.1 8.0

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE

EURIPIDIS HERACLIDIS.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIII. MENSIS AUGUSTI A. MDCCCLXVIII

PUBLICE DEFENDET

IOANNES THEIS,

RHENANUS.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA ASCHENDORFFIANA.

MDCCCLXVIII.

FRATRI CARISSIMO

CONRADO

SACELLANO IN NIEUKERK

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

SCRIPTOR.

Praefatio.

Graecorum literae quum ad alienas nationes perferrentur, diversissima iudicia nactus est Euripides. Ubi optimarum artium cognitio, multis impedimentis superatis, ad Romanos pervenit, Euripides ex iis erat viris claris, qui summam admirationem multasque imitationes obtinerent. Ennius, clarissimus poeta tragicus, solius Euripidis tragoedias imitatus est. Pacuvius et Attius, qui non unum poetam Graecum secuti sunt, plerisque fabulis ad imitandum sibi Euripidem sumpserunt. [1]) Posteriore autem tempore Seneca, cuius magni aestimatae sunt tragoediae, Euripidem secutus est, neque non Ovidius una cum nomine sumpsit argumentum Medeae. [2]) — Et poetae comici, dum Menandrum, Diphilum aliosque comoediae novae poetas imitantur, quum illi Euripidis vestigia premerent, neque ipsi ab Euripide alieni fuisse videntur. — Tum vero Romanos plurimi aestimasse Euripidem et Sophocli paene antetulisse, docent, qui de claris Graecorum viris scripserunt, auctores Romani, ut Quintilianus et Cicero. Quorum ille dicit (X, 1. 67): „Sed longe clarius (Aeschylo) illustraverunt hoc opus Sophocles atque Euripides, quorum in dispari dicendi via uter sit poeta melior inter plurimos quaeritur“ et multam laudem addit de huius vi oratoria et copia sententiarum. Cicero

[1]) Cf. Hartung, Eurip. restit. II p. 577.
[2]) Cf. Quint. X §. 1. 98. — Tacit., Dial. de or. 12.

simili modo disputat dicens (de orat. III 7. 27): Aeschylo, Sophocli, Euripidi parem paene laudem in dissimili scribendi genere esse tribuendam.

Posteris autem temporibus eae gentes, quae a Romanis literarum originem sumpserunt, etiam Euripidis admirationem imitationemque inde recepisse videntur. Praesertim Francogalli summis laudibus eum efferebant et artis scenicae praestantissimum specimen existimabant. Clarissimi eius nationis poetae, ut Corneille, Racine, alii eum imitati sunt imitantesque magnam gloriam sunt adepti. [1])

Longe aliud Euripidi contigit in Germania. Quum Aeschylus et Sophocles maxime celebrarentur eorumque fabulae a multis viris doctis lectitarentur, parvi aestimabatur Euripides et paene negligebatur. Ii vero, qui de Euripidis ingenio scribebant eiusque tragoedias explicabant, eo plerumque consilio fecisse videntur, ut vituperarent in eumque inveherentur. Fuerunt quidem, qui magni aestimarent Euripidem; Goethius eum imitatus est et quanti Lessingius eum fecerit, elucet ex eius opere, quod vocatur dramaturgia. Sed multo maior erat numerus eorum, qui reprehenderent poetam et artem scenicam in eo inesse negarent, in quibus praecipue est Schlegelius et qui eum secuti sunt. [2]) Proximis demum temporibus complures exstiterunt viri, qui aequius de Euripide iudicarent et diligentius ad eius opera consideranda incumberent, e quibus bene meritus est Bernhardyus. [3])

In perquirendo Euripidis ingenio atque arte et explicandis eius tragoediis magnam difficultatem praebet, quod quibus annis singulae fabulae actae sint, ab antiquitate non accepimus. Quae res quum est gravissima, quod ex

[1]) A. W. Schlegel, Comparaison entre la Phèdre de Racine et celle d'Euripide.

[2]) A. W. Schlegel, Vorlesungen über dram. Kunst und Literatur.

[3]) Cf. Allg. Encyclopaedie v. Ersch u. Gruber s. v. Euripides. Sect. I. P. 39. — Bernhardy., Grundriss der griech. Litteratur P. I. V. II.

tempore fabularum actarum intelligitur, qui sit artis scenicae progressus et quae poetae ingenii mutatio, tum in Euripidis tragoediis eo maioris est momenti, quod pleraeque tempora, quae tum erant, significant et ad publicas res pertinent. Ergo si ignoramus tempus neque dicta quaedam neque multarum fabularum finem intelligere possumus. Qua de causa viri docti enisi sunt, ut ex fabulis ipsis, quo tempore scriptae essent, enuclearent.

De hac Euripidis tragoediarum conditione ut docerer, Heraclidas fabulam adii et quid inde evinci posset perquisivi. Quam ipsam tragoediam complures viri docti explicaverunt [1]); sed quod ex ea evolverunt actae fabulae tempus et finem, aut non recte aut non satis accurate mihi quidem disputasse videntur. Quare ausus sum, hanc a multis tractatam quaestionem renovare et quae mea esset de tragoediae tempore et fine sententia, exponere, ita ut simul aliorum sententias afferrem. — Neque vero probare potui, quod nonnulli contenderunt: non esse in hac tragoedia summam sententiam, totam fabulam unice civitati servire neque quidquam poetam sibi proposuisse, nisi ut cives de publicis rebus doceret. Quorum opinionem ita reiicere volui, ut quae tragoediae summa sententia elucere videtur, eam explicarem. Tum de arte fabulae disputavi et nonnulla adieci, quae ad artem hermeneuticam et criticam pertinent.

[1]) Praecipue nominandi sunt: A. Boeckh, De Graec. trag. princ. 1808. — Zirndorfer, De chronologia fabb. Eur. 1839. — Roscher, De vita, opere et aetate Thuc. 1842. — Firnhaber, Progr. des Gymnas. zu Wiesb. 1846. — Pflugk, Praef. Eur. trag. 1829. V. I. Sect. IV. — Hartung, Eur. restit. 1843. V. I. — Schlegel, Vorlesungen 1817. V. I. — Bernhardy l. c. — Klein, Gesch. des Dramas, 1865. V. I.

Pars I.

De summa Euripidis Heraclidarum sententia et fine, quem poeta, rem publicam respiciens, sibi videtur proposuisse.

§. 1.

Argumentum tragoediae.

Initio fabulae in scena spectantur Iolaus et Herculis proles virilis excepto Hyllo. Iolaus explicat spectatoribus, ubi scena agatur, quis ipse sit, quae vitae suae suorumque conditio. Herculis, dum vita frueretur, sese fuisse comitem, nunc illo mortuo liberis eius, quum ab Eurystheo exagitentur, patris pietate ductum prospicere; complures iam terras sese profugos peragrasse, quum reges, potentia et nuntiis Eurysthei perterriti, ipsos invalidos pepulissent. Quare nunc sese confugisse in Atheniensium fines et in agro Marathonio ad deorum aras consedisse experientes, num ab Atheniensium regibus, Thesei duobus filiis, susciperentur. Venisse secum Herculis filios infantes — filios aetate iam provectos exiisse quaerentes refugium, quod nancisci possent, si etiam hinc pulsi essent, — filias autem pudore vulgi cum avia Alcmena in templo consedisse. (1—47.) [1]

Quae quum Iolaus pronuntiaverit, adest Copreus, Eurysthei nuntius, iubens Iolaum Argos redire, ubi morti ad

[1]) Numeri afferuntur secundum editionem Nauckianam.

dictus sit. Hoc quum Iolaus recuset, Copreus vi a deorum ara eum rapere conatur; Iolaus, in terram proiectus, cives Athenienses inclamat. Qui audientes clamorem concurrunt et nefarium facinus videntes Copreum increpant et ab instituto prohibent. Exsistit altercatio chori, qui civibus Atheniensibus continetur, et Coprei, hoc ostendente Eurysthei voluntatem et potentiam, illo de deorum legibus et hospitii iure pie monente. (V. 48—119.)

His certantibus accedit Atheniensium rex Demophon cum fratre Acamate. Ad eum Coprei et Iolai res referuntur. Copreus suam causam agit sic: se missum esse a rege Argivorum ut istos deduceret, et suo iure se hoc facere, nam Argivos esse istos, quos suis legibus punire liceat; quare Demophon, ad quem nunc fugerint, utrum faciat perpendat; reiicientem Heraclidas amicitiam magnae et opulentae civitatis sibi parare, si autem recipiat, hoc non impunitum laturos esse Argivos, sed acie rem decreturos; at videat, ne bellum suscipiat imbecillorum supplicum causa et reputet, quomodo laturi sint cives, si ob tam parvam rem tantum periculum subeat. Iolaus Heraclidas defendens: nihil, dicit, ipsis negotii esse cum Argivis, eos pepulisse Heraclidas, unde non iam liceat, sua iura in istos exercere; tres autem esse causas, cur Demophonti Heraclidae recipiendi sint: primum religione dei hospitum tutoris, cuius ad aram venerint, deinde propter necessitudinem, quae illi sit cum Heraclidis, tum autem propter gratiam illorum patri debitam, quod Hercules ipsius patrem, Theseum, ab inferis reduxerit. Rex causas ab Iolao prolatas probat et Copreum e finibus suis decedere iubet; deos se pie colere neque pati, supplices ab aris avelli, contemnere autem Eurystheum et Argivorum exercitum. — Tum Copreus vi pueros rapere conatur, sed a rege reiectus graviter iratus abit dicens, rediturum se magno cum exercitu, qui in finibus iam sit collectus. — Abit etiam cum suis Demophon a choro monitus, ut rebus publicis prospiceret, quoniam bellum immineret; chorus autem primum canticum

profert laudans Atheniensium urbem et potentiam, qua non validiores sint Argivorum res. (V. 120—380.)

Cantu chori absoluto Demophon tristi vultu redit. Interrogatus ab Iolao, quidnam curae ei esset, narrat: Eurystheum cum exercitu in finibus consedisse exspectantem idoneum tempus, quo in agros Atticos invaderet; se ipsum collegisse exercitum et quae ad hostem defendendum opus sint instruxisse, et vates convocasse ad audiendas eorum vaticinationes; illos vero, quum multis rebus discrepent, in hoc omnes consentire, virginem e nobili genere ortam immolandam esse; sed neque se ipsum filiam suam morti esse daturum neque civium aliquem ut tradat coacturum; quare iam videat Iolaus, quid sit faciendum, ut et ipsi tuti sint ab Eurystheo et Attica ab hostibus servetur. Iolaus multum de Heraclidarum miseriis questus Demophontem rogat, ut se, illorum ducem, tradat Argivis sperans, hoc saluti fore Heraclidis. Sed negat Demophon, ita difficultatem expediri, non enim Iolaum sed Heraclidas peti ab Eurystheo. — His deliberantibus nec remedium reperientibus accedit Macaria, filia Herculis, questibus Iolai accita. Haec postquam comperit, quae sit necessitas, statim se ipsam immolandam praebet dicens, pudori sibi esse, si Athenienses summis viribus niterentur, ut hospites servarent, ipsi autem nullum laborem susciperent et recusat sorti committere, cui filiarum Herculis mors sit subeunda. Ubi omnes valere iussit, abit cum Demophonte magnum dolorem faciens Iolao, quem chorus cantico consolatur celebrans fati vim et deorum potentiam, qua hominum vitae gubernentur; consolationi autem esse, quod Macaria gloriosam mortem obitura sit. (V. 381—629.)

Tum in scenam producitur servus laeta afferens de hero suo Hyllo, Herculis filio natu maximo. Quem nuntium ubi Iolaus agnovit, summo gaudio perfusus evocat Alcmenam, Hylli aviam. Quae suspicans, tristem denuo nuntium ab Eurystheo missum venisse, invehitur in servum dicens, se defensuram esse Heraclidas neque passuram, eos deduci. Docta vero, non Eurysthei nuntium, sed nepotis servum venisse, gaudet et ipsa illumque salvere iubet, sed rursum recedit, quum servus de Hylli exercitu nuntiet. Narrat autem servus: Hyllum magnum, quod collegerit, agmen cum Atheniensium exercitu coniunxisse et prope adesse exercitum Argivorum. Tum Iolaus in animum inducit, et ipse pugnae particeps esse, neque servi argumentationibus neque chori et Alcmenae precibus ab insano, quod illis videtur, consilio prohiberi potest; iubet servum arma, quibus pugnet, e templo afferre; quibus indutus quum incedere non possit, servo ea portanda tradit pugnae loco induturus et humeris eius nisus e scena discedit. — Tum chorus lunam et solem invocat, ut laetum de pugna nuntium sibi afferant; terribiles hostes esse Argivos, sed probrosum, supplices hospites reiicere; Minervam deam orat, ut Argivorum exercitum repellat. (V. 630—783.)

Prodit alius servus victoriam de Argivis reportatam Alcmenae nuntians. Quae de pugna audiens sollicita suorum fortunas, maxime Iolai, exquirit. Quos postquam salvos esse affirmavit servus pugnae decursum enarrat. Quum duo exercitus sibi essent oppositi, Hyllum ex acie progressum rogasse Eurystheum, ut ipsi duo, ne tam multum sanguinis profunderetur, certamine singulari rem ita discernerent, ut si Hyllus cecidisset, Eurystheus summam Heraclidarum potestatem haberet, si Eurystheus, Hyllus patris sui regnum recuperaret. Quam conditionem propositam, summo gaudio receptam ab exercitibus, a rege esse reiectam. Tum hostia humana immolata et acie instructa, proelium incepisse; fortiter certatum esse ab utraque parte et diu pugnam stetisse, tandem fortunam se inclinasse ad Athenienses et acie perrupta Argivos esse fugatos. Iolaum vero Hylli currum ascendisse et frenis sumptis Eurystheum persecutum esse. — Illa, pergit nuntius, se ipsum vidisse, haec autem ex aliis audiisse: Iolaum, quum in agrum Pallenicum venisset, conspecto Eurysthei curru, Iovem et Iuventatem orasse, ut unum diem se iuve-

nem redderent ad Heraclidarum iniurias persequendas. Tum mirabile aliquid accidisse: duas stellas residentes Hylli currum nube cinxisse — vates autem dicere, fuisse Herculem et Iuventatem; — nube sublata Iolaum apparuisse iuvenem et Eurystheum ad Scironis rupem cepisse — Alcmena de victoria suorum gavisa servo libertatem donat; miranti autem, quod Iolaus non cecidisset Eurystheum, dicit servus, vivum vinctum esse, ut ipsa visu eius gauderet. — Chorus laetitia elatus laudat Athenas, quod deorum leges observaverint, monet etiam, Eurysthei fortunam ostendens, ne unquam de virtutis via decedant; celebrat Herculem, quem nunc constare inter deos esse receptum. (V. 784—927.)

A servo inducitur Eurystheus vinctus. Quem Alcmena vehementer increpat obiiciens ei, quot miserias contulerit in filium suum Herculem et quantis insidiis se nepotesque vexaverit; haec facinora morte ei esse luenda. Ad hoc chorus refert, legibus Atheniensium non licere, hominem in pugna captum occidere. Alcmena vero exardescens: Athenas, dicit, sibi caras esse, sed Eurystheum semel traditum non iam vivum se esse dimissuram. Tum Eurystheus adhuc silentio usus, suam Herculisque conditionem exponit: probe se intellexisse, sibi consanguineum et virum esse Herculem, sed a Iunone se incitatum eum persecutum esse; mortuo autem Hercule etiam illius liberos sibi inimicos persequi necesse fuisse; nunc quidem se legibus Graecorum a morte defendi, sed non deprecaturum, si Alcmena ipsum velit occidere. Alcmena ut et Eurystheum occidat et urbi cedat, consilium capit, necare Eurystheum et necatum Atheniensibus tradere, quod consilium a choro probatur. Eurystheus autem e vita decessurus edicit vetus Apollinis oraculum: se sepultum prope sacrum Minervae virginis Atheniensibus et urbi salvatorem fore, Heraclidarum liberis vero inimicissimum, quando cum exercitu redituri sint, male gratiam remunerantes. Tum Eurystheus deducitur ad mortem et aulaeum tollitur.

---

§. 2.

Summa tragoediae sententia exquiritur.

Complures viri docti, qui de Heraclidis scripserunt, summam huius tragoediae sententiam neglexerunt et exquirentes, quasnam publicas res et quod tempus respiciens poeta composuerit fabulam, altioris illius et maioris causae, qua vera tragoedia continetur, nullam rationem habuerunt. Iacobsius eo etiam progressus est, ut negaret inesse ullam in hac fabula sententiam summam. [1]) Sed non iuste, quod quidem ad Heraclidas attinet, iudicasse videtur homo doctus. Etenim quamquam rem publicam respiciens poeta hanc fabulam scripsit et — id quod infra considerabimus — multa in eam intulit, quae ad Atheniensium statum, qui tum erat, referenda sunt, tamen universae fabulae summam quandam sententiam videtur subiecisse eamque ita instituisse, ut ea, quibus civibus servire vellet, huic subiungeret.

Neque vero ii, qui scripserunt de summa fabulae sententia inter se consentiunt. Hartungius in libro suo, „Euripides restitutus" de hac fabula disputans dicit (I. p. 308): summam tragoediae sententiam contineri carmine illo, quod a versu 608 pertinet usque ad versum 629 et maxime his chori verbis: *ἁ δ᾽ἀρετὰ βαίνει διὰ μόχθων* (v. 625). Non assentior huic opinioni. Nam haec si esset summa tragoediae, quid sibi vellet Hercules de coelo demissus, quid miraculum eius opera editum, quid tot deorum implorationes. Iolaus in deorum tutelam confugerat et a Demophonte eam maxime ab causam receptus est, quod ad aram Iovis consederat; deorum auxilium poeta magis respicere videtur quam hominum vires. Atque si hanc, quam vult Hartungius, teneremus sententiam, tum tota fere prima fabulae pars (v. 1—273), qua Argivorum iniuriae et Hera-

---

[1]) Cfr. Nachtrag zu Sulzers Theorie V. p. 409.

clidarum iustitia copiose describuntur, non ad fabulae summam pertineret et diverbium Alcmenae et Eurysthei, quod in parte extrema legimus, plane esset supervacaneum.

Aliud de summa sententia proposuit iudicium Firnhaberus (Programm Wiesbaden 1846 p. 73 N. 85) dicens haec: „Sententiam, quae summam fabulae constituat . . . in hoc eam carmine (v. 892—927) posuerim, ad praecepta vitae emendandis civium moribus consentanea utique revocandam: *Τιμᾶν θεοὺς μὴ ἔχειν πρὸ δίκης ὕβριν φρόνημά τε ἀκόρεστον*: haec sunt praecepta tempori tragoediae aptissima.“ Sed neque Firnhaberus totam et veram enucleavisse videtur sententiam. Illud enim chori dictum non est nisi praeceptum ex Eurysthei et Argivorum calamitatibus sumptum; quod quidem probare possemus, si nihil aliud videremus, nisi iniuriarum ultionem. Sed producuntur etiam Heraclidae, qui primariam actionis partem suscipiunt, et Athenienses nec ipsi agentes personam inferioris ordinis, et fingitur non solum transitus e rebus secundis in res adversas, sed etiam mutatio fortunarum ex adversis rebus in prosperas. Inde Heraclidarum et Atheniensium causas a fabulae summa alienas haberemus, si illam, quam profert Firnhaberus, summam sententiam existimaremus.

Quare neque, quam proposuit Firnhaberus, sententia plane probari potest. Summa vero, quae universa fabula continetur, mihi videtur esse haec: deus homines pios et bonos adiuvat et ad bonum finem perducit; impiorum autem facinora vindicat et in exitum eos vocat. Sunt quidem homines, qui mali et nefarii aliquantum temporis felicitate utantur, et magna scelera perficiant a nullo prohibiti; tandem vero deo iusto poenam dant et in miserias coniiciuntur; similiter multi homines iusti aliquod tempus infelices sunt et calamitatibus affliguntur; sed liberantur a Iove e miseriis, perducuntur ad res prosperas et praemiis donantur. Celebratur igitur deorum iustitia, quae intercidere aliquamdiu videtur, sed manet semper et quod meruit unusquisque tribuit.

Hanc sententiam postulare videtur tragoediae argumentum et universae fabulae conditio. Proponuntur Herculis liberi infantes, innocentes, qui patre mortuo, quum nullum satis firmum praesidium haberent, maximas miserias perpessi sunt. Tum conspicitur homo nefarius, insolens et deorum negligens, ab Eurystheo Heraclidarum inimico missus, qui Argos eos deduceret. Quod quum Athenienses deorum verecundia prohibeant neque scelestis nuntii postulationibus concedant, inimicitiae oriuntur inter Athenienses et Argivos, et bellum acerrimum paratur. Ita Athenienses in summum incidunt discrimen, quod deos colunt, et Heraclidis novum magnumque periculum impendet. Haec non iusti dei esse videntur; quare Iolao monenti: *Ζηνὶ τῶν σῶν, οἶδ' ἐγώ, μέλει πόνων* (v. 717) Alcmena de deorum iustitia desperans respondet (v. 718 sq): *φεῦ.*

Ζεὺς ἐξ ἐμοῦ μὲν οὐκ ἀκούσεται κακῶς·
εἰ δ' ἐστὶν ὅσιος αὐτὸς οἶδεν εἰς ἐμέ.

Tandem vero deus respicit nefariorum hominum superbiam et iustorum miserias; ipse bonis auxilium fert et in malos vindicat. Hercules de coelo descendit et editur miraculum, quo hostes pelluntur. Argivis devictis Eurystheus morte facinora luit, Heraclidae e miseriis et insectationibus liberantur et Athenienses quum magnam sibi parant belli gloriam tum — ut pietatis praemium — laetissimum Apollinis oraculum audiunt. Aliud autem nunc de Iove iudicium fertur, quum Alcmena dicat (v. 869 sq.):

ὦ Ζεῦ, χρόνῳ μὲν τἄμ' ἐπεσκέψω κακά,
χάριν δ' ὅμως σοι τῶν πεπραγμένων ἔχω.

Huic summae fabulae sententiae respondet etiam poetae indoles et philosophandi ratio. Euripidis philosophica sententia erat: deos aequis legibus mundum et hominum sortes gubernare. Quum vero res humanae non convenire viderentur huic sententiae, quum plerumque homines impii felices et boni infelices essent et multae rerum perturbationes occurrerent, poeta natura sua eo maxime intentus, ut hominum casus perquireret, id imprimis agebat, ut has

res humanas ad deorum iustitiam referret et fabulis suis persuaderet civibus, deos iustis legibus regnare. Saepius quidem poeta ipse caeca fortunarum vicissitudine turbatus desperare videtur de deorum iustitia — id quod in Andromacha et Hippolyto fabulis videmus — sed compluribus aliis hanc, quam diximus sententiam comprobavit, ut in Hecuba, Medea, Bacchis, aliis.

Praeter hunc sublimem finem poeta etiam inferiorem sibi proposuit hac fabula, ut civibus serviret. Hoc iam inde efficitur, quod saepissime a fabulae personis celebratur Atheniensium res publica, ut iure haec tragoedia Athenarum praeconium appellari possit. Tum vero etiam ex argumento et dispositione fabulae apparet, poetam rem publicam respexisse. Videmus inimicitias inter Athenienses et Peloponnesios orientes, hostes devictos, Athenienses victoriam reportantes; huc si conferimus, bellum Atheniensium et Lacedaemoniorum aut iam ortum esse, quum scriberetur fabula, aut certe discidia exstitisse, tum pertinere eam ad rei publicae conditionem, nemini dubium esse potest, neque quisquam negavit eorum, qui de Heraclidis scripserunt. Sed quid cives Athenienses docere voluerit Euripides ad publicas res tragoediam accommodans, in hac re multum differunt virorum doctorum opiniones. Haec vero quaestio artissime coniuncta est cum ea, quo anno scripta sit fabula. Quare nunc nobis inquirendum est, quum veteres scriptores huius rei nullam mentionem fecerint, ex fabula ipsa, quo anno scripta sit et quem finem in componenda tragoedia poeta sibi proposuerit.

---

§. 3.

Quo tempore haec fabula scripta sit et ad quas publicas res pertineat.

Venio nunc ad lubricam illam et difficillimam causam, quae in ea versatur quaestione, quo tempore haec fabula

composita sit. Cuius quaestionis tot fere explicationes factae sunt, quot viri docti de hac fabula scripserunt. Difficultas autem editae fabulae tempus definiendi eo continetur, quod nulla huius rei testimonia ex antiquitate tradita sunt. Incertum vero et dubium est id, quod testimoniis deficientibus unum restat, ut ex ipsa fabula, quo tempore docta sit, evolvatur. Hanc inquirendi viam proximis temporibus multi viri docti ingressi sunt variis eventibus ita, ut alii, quae proposuerant, admirabili quodam modo evincerent, alii nihil fere nisi incertas suspiciones et opiniones proferrent. Hunc in modum etiam de nostra fabula Heraclidis, quo tempore docta sit, viri docti inquisiverunt et inde, ad quas publicas res pertineret, evolverunt. — Equidem ad hanc quaestionem accedens ita rem instituam ut primum aliorum sententias proferam et considerem, tum quid ipse de tempore et fine fabulae iudicem, prodam atque comprobem.

Pauca de hac re disputavit Boeckhius in clarissimo libro, quod scripsit: „De Graecae tragoediae principibus." Qui putat: ex conviciis in Argivos iactis apparere, doctam esse Heraclidas, quum bellum Argivi pararent adversus Athenienses; annus autem, quo doceri potuerit, aptissimus ei esse videtur 418 a. Ch. n., quod eo anno Argivi cum Lacedaemoniis pacem fecerint, posteriore autem anno iterum cum Atheniensibus in gratiam redierint. Argivos igitur Boeckhio Euripides significasse videtur; quam sententiam, si levius consideras, facile comprobes et illos poetam respexisse putes. Si vero diligentius totam fabulam perpendimus, intelligemus, ad Argivos eam pertinere non posse, et causas a Boeckhio allatas non satis magni esse momenti. Etenim ex conviciis in Argivos iactis non apparet, Atheniensibus cum Argivis bellum fuisse; ita ferebat fabula ipsa a maioribus tradita, quam Euripides tractavit. Hoc solum inde concludi potest, Heraclidas non editas esse eo tempore, quo Athenienses cum Argivis societate erant coniuncti; sed nihil obstat, quominus putemus,

editam esse fabulam, quum Argivis cum Atheniensibus neque amicitiae neque inimicitiae essent, quod priore belli Peloponnesiaci tempore fuisse Thucydides docet (Cf. II 9). Quod autem Boeckhius v. 353 sqq. laudat, ii Demophonti et choro ex ipsa fabula erant dicendi neque quidquam est, quod civium causa scriptum esse videatur. Illi vero, quos ad opinionem suam firmandam affert v. 759 sqq.

δεινὸν μὲν πόλιν ὡς Μυκήνας
εὐδαίμονα καὶ δορὸς
πολυαίνετον ἀλκᾷ
μῆνιν ἐμᾷ χθονὶ κεύθειν.

contrarium ostendere videntur ac voluit. Metum enim continent chori, ne copiosus et validus hostis ipsos devincat. Tanto autem Argivoram timore Athenienses fuisse perfusos, non est verisimile. Quare si illud scribens Atheniensium hostem aliquem respexit poeta, alium Argivis validiorem respicere debuit et ob hanc quoque causam ad Argivos haec fabula non pertinere videtur.

Sed ne diutius verser in reiicienda Boeckhii sententia, quam et iam alii refutare curaverunt,[1]) iam Zirndorferi de hac re opinionem considerem. Zirndorferus in libro, qui inscribitur: „De chronologia fabularum Euripidearum" (cap. I et II) tres periodos metro, actione et exitu definitas distinguit: primae periodi esse fabulas, quae raras habeant metri solutiones, unam actionem et tristem exitum, tertiae periodi eas, quae multas habeant solutiones, duas actiones et laetum exitum, secundae autem eas fabulas, in quibus metri solutionum numerus intercedat inter numerum solutionum primae et tertiae periodi, quae nec unam nec plane duas actiones habeant et quarum exitus partim tristis partim laetus sit, ita ut haec periodus transitum faciat a prima ad tertiam. Has res ut temporis signa in singulis fabulis inquirens Zirndorferus (p. 27 sqq.) nostram fabulam secundae periodo tribuit, quae pateat ab anno 428 usque

[1]) Cf. Zirndorfer p. 30. — Firnhaber, Progr. p. 9.

ad annum 408. — Haec norma ad editarum fabularum tempus definiendum constituta, quamquam dubia est, tamen non plane est reiicienda, quum certa testimonia non habeamus. Sed tam arto temporis spatio, ut vult Zirndorferus, fabulas editas concludere non licet: ita enim poetae indolem plane ad amussim dirigeremus. Minus etiam valet haec regula in eas fabulas, quae ad rem publicam pertinent, quum in iis conscribendis non solum agatur, ut leges scenicae observentur, sed illud etiam, qua potissimum via describantur res publicae, significentur tempora conditionesque praesentes, ut celebretur, moneatur, deterreatur civitas. Quamobrem probabile est, poetas in eiusmodi fabulis componendis minorem curam impendisse in observandas artis leges, id quod etiam inde colligere possumus, quod eas fabulas ob certum aliquod factum inceptas certo tempore confectas esse necesse erat. — Tum Zirndorferus, ut certius illud tempus indicatum definiat, nonnullas singulas causas affert ex ipsa tragoedia sumptas. Dicit, quod Euripides ne unum quidem convicium in Lacedaemonios iaciat, inde maxime verisimile esse, quo tempore haec fabula acta sit, nullas inimicitias inter Athenienses et Lacedaemonios exstitisse. Hoc verisimile esset, si Lacedaemonii fabulae essent participes; ii autem quum actioni non intersint — ne appellantur quidem nomine excepto uno loco (v. 740 sqq.), quo eorum clades commemoratur[1]) — nulla causa nec occasio quidem est, cur Euripides in Lacedaemonios, sive amicos sive infensos, aperta convicia iaciat. Hoc enim non dico, quum Zirndorfero ita non videatur, poetam specie Argivorum Lacedaemonios oblique perstringere. Putat enim Zirndorferus, sub liberorum Herculis persona Lacedaemonios produci et significari illud tempus, quo Pylo capta Lacedaemonii pacem petierint ab Athenien-

[1]) V. 740 sqq.
εἴθ', ὦ βραχίων, οἷον ἡβήσαντά σε | μεμνήμεθ' ἡμεῖς, ἡνίκα ξὺν Ἡρακλεῖ | Σπάρτην ἐπόρθεις.

sibus; quod factum est anno 425 a. Chr.; eo igitur anno colligit doctam esse fabulam eaque poetam monuisse Athenienses, quomodo Heraclidas recepissent, ut ita Lacedaemoniorum pacem oblatam acciperent. Sed male Euripides monuisset tales proponens Lacedaemonios, quales Heraclidas induxit; ita enim magis ad bellum cum infirmo hoste persequendum irritasset Athenienses, quam ad pacem faciendam; nemo autem credat, hoc si quis dicat, poetam cives incitare voluisse tali descriptione, quo maiora poscerent et immensas immoderatasque illas Cleontis conditiones augeri cupiisse. Tum vero quominus illud consilium poetae tribuamus, obstat extrema fabulae pars, quam Zirndorferus dicit (p. 28), quum non ex fabulae ratione composita sit, maxime ad publicas res referendam esse. Ibi quum Heraclidae ante amici Atheniensium fuerint, tum ex amicis inimici facti esse videntur, si quidem Alcmena Eurystheum, negligens hospitum leges ac voluntatem statim necare studet. Quae res eo quidem consilio instituta non esse videtur, ut Heraclidae spectatoribus, Lacedaemonii Atheniensibus commendarentur. Illa autem, quam ostendit Alcmena immanitatem atque crudelitatem, nonne potius deterreri debuerunt Athenienses a foedere Lacedaemoniorum, quam ad ineundum incitari? Et quod Eurystheus profert oraculum Iunonis, tantum abest, ut eo Athenienses ad pacem faciendam commoveantur, ut ad summum ardorem bellique cupiditatem eos inflammari necesse fuerit. Neque vero quod Iunonis oraculum pronuntiatur ab acerrimo Lacedaemoniorum hoste, eo prohibetur, ut Zirndorferus putat, quominus hoc dictum ad Euripidis sententiam sit referendum, neque est verisimile, poetam illud, quod non ex fabulae sententia dixerit, tantum illusionis causa addidisse (Cf. Zirnd. p. 35). Haec quidem verba (v. 176 sqq.):

μηδ᾽ ὅπερ φιλεῖτε δρᾶν
πάθῃς σὺ τοῦτο, τοὺς ἀμείνονας παρὸν
φίλους ἑλέσθαι, τοὺς κακίονας λάβῃς

quae proferuntur a Copreo, qui ex Zirndorferi sententia non

minus Lacedaemoniorum acer est hostis, sibi sumpsit Zirndorferus ad evincendam suam opinionem, quamquam ea non tanti momenti esse possunt. Quare neque Zirndorferi sententia comprobari posse videtur.

Longe aliud tempus editae fabulae invenit Roscherus in libro, quem scripsit „de vita, opere et aetate Thucydidis.“ Hic comparat (p. 540) supplices Heraclidas cum legatione Corcyraeorum dicens, Euripidem Heraclidas auxilium petentes induxisse et Athenienses opem ferentes, quo cives commoveret, ut Corcyraeos auxilium rogantes adversus Corinthios reciperent et bellum, si inde orturum esset, subirent. — Sed neque Roscheri opinio probabilis esse videtur. Haec quidem fabulae nostrae personis cum Corcyraeis est similitudo, quod Corcyraei a Corinthiis vexabantur, ut Heraclidae ab Eurystheo, quod Corcyraei ab Atheniensibus auxilium petebant, ut in fabula liberi Herculis; sed non minus multa huic sententiae repugnant. Ac primum quidem reputandum est, quod iam Firnhaberus (l. c. p. 14) commemoravit, longe aliam esse sortem Corcyraeorum societatem ab Atheniensibus petentium ac Heraclidarum Euripides: illi erant divites, potentes, opibus suis freti, multa iactabant et maxima commoda Atheniensibus promittebant;[1]) Heraclidae pauperes, egeni, inopes, nihil commodi offerebant. Minime tali aspectu poeta Corcyraeos commendasset. Obstat etiam Roscheri opinioni extremae fabulae praedictio illa, quam dicimus ex eventu. Quod enim Eurystheus Apollinis oraculum nuntiat: se mortuum Atheniensibus benevolum fore, nepotibus autem Heraclidarum, quando in Atticam irrupissent, infestum (v. 1026), hoc ad invasionem Lacedaemoniorum belli Peloponnesiaci tempore factam spectare videtur, indeque coniici potest, fabulam nostram non ante bellum Peloponnesiacum compositam esse neque Euripidem Corcyraeorem cum Atheniensibus societatem, quae ante bellum inita est, respicere.

---

[1]) Cf. Thuc. I. c. 32—36.

potuisse. Tum vero si putas, sub Heraclidarum persona induci Corcyraeos, Eurystheus oraculo illo Apollinis Corcyraeos ipsos devovet et praedicit, Atheniensibus cum iis bellum fore. Illo autem foedo Alcmenae facinore, quod iam supra commemoravi, qui putas, Euripidem Corcyraeos commendasse? Multo aliter facere debuisset et potuisset, si Corcyraeos Atheniensibus gratos facere voluisset. — Addit quidem Roscherus ad opinionem suam firmandam, cum Hermanni observatione coniecturam suam egregie conspirare; sed minime egregia est haec conspiratio, siquidem Hermannus hoc solum observavit, Heraclidas fabulam, quum numeros haberet severiores et puriores, priorem esse Olympiade LXXXIX;[1]) unde longum coniecturarum spatium erat concessum.

Transeo iam ad eum virum, qui diligentissime de tempore, quo editae sint Heraclidae, quaesivit, Firnhaberum dico.[2]) Qui quum aliorum de editae fabulae tempore sententias tractasset, suam ipsius opinionem explanans dicit (p. 18): Omnia et rei publicae Atheniensis et poetae tempora reputanti nullum sibi et argumento et compositioni tragoediae magis idoneum videri, quam Ol. 87, 1.; Euripidem Heraclidas eo anno docuisse, postquam ultimi legati Peloponnesiorum Athenis commorati Spartam redierint, et scripsisse ea mente, ut Periclis consilia quam essent e republica, populo persuaderet, quaecunque populo et magistratibus molienda essent, doceret, animos civium excitaret, etiam Periclem admoneret, ut omnibus viribus bello prospiceret mutatoque vivendi genere rumores civium fugeret. — Hoc quum aliqua ex parte probem, illud non recte mihi

[1]) Hermanni Opuscula v. III p. 148 (Adnott. ad Medeam ab Elmsl. editam p. 329).

[2]) Programm des Gymnasiums zu Wiesbaden 1846 (Commentatio de tempore, quo Heraclidas et composuisse et docuisse Euripides videatur et de nova eam tragoediam interpretandi ratione inde repetenda von Prof. Dr. C. G. Firnhaber).

invenisse videtur Firnhaberus, Ol. 87, 1 i. e. anno ante bellum Peloponnesiacum exortum fabulam doctam esse. Ita ut censeam, commovet me illa, quam iam saepius attuli, praedictio ex eventu. Contendit quidem Firnhaberus, illam praedictionem non ex eventu fictam esse, sed veram esse praedictionem, neque difficile fuisse praedicere, quum et prioribus temporibus Lacedaemonii in Atticam irrupissent et iam Pericles illud fore significasset. (Cf. Thuc. I. c. 143.). Id quidem concedo, tamen probabilius est, Euripidem ex eventu praedixisse; quare hoc, quod veri est similius, praeferendum est, nisi gravius aliquid huic opinioni repugnat; immo vero puto, — id quod infra meam sententiam exponens accuratius explicabo — Euripidem propter ipsam irruptionem a Lacedaemoniis factam eaque commotum hanc fabulam composuisse. Illud autem, quod ad suam opinionem firmandam affert Theob. Fixii argumentum dicens, hoc certissimum testimonium esse: stulte Euripidem oraculo usum esse et non recte praedixisse, si ita scripsisset exorto iam bello, quum quotannis magnum damnum Atheniensibus inferretur, hoc non tanti momenti est. Nam prima Lacedaemoniorum invasio non tam magnam cladem Atheniensibus intulit, ut nullam iam ultionis spem suscipere possent et oraculum postea fictum pro falso accipi necesse esset. — Tum argumentationem suam persequens Firnhaberus dicit (p. 24): Euripidem convicia in Lacedaemonios, quum ei, quod proposuit, tempori inepta sint, aperte non congerere; et pacis amorem spirare verba poetae, eo quidem pugnandi cupidis non satis facientis, sed ubique nihil se malle, quam pacem prae se ferentis. Non desunt convicia Argivorum specie in Lacedaemonios iacta; tum vero illa Lacedaemoniorum probra et flagitia, quae Argivos describens poeta in spectatorum memoriam reducit, impietatem erga deos, violatum ius gentium, superbiam in alienos populos proditam, Lacedaemonem urbem captam, haec omnia plane aperta convicia adaequant. Quod autem Euripides bellum describit, quod Athenienses magnam victoriam reportant, quod

Macaria pro suis vitam tradit, quae res summa admiratione Athenienses implere debuit, num haec pacem spirant, num sunt verba poetae pacem retineri cupientis, nonne potius cives bello exorto incitantis? Et postremo oraculo ab Eurystheo prolato, Lacedaemonios Atheniensibus inferiores fore, nonne Euripides ad summam alacritatem cives stimulare voluit? Sunt quidem etiam indicia pacis sed non adhuc exstantis sed brevi ante disiectae. [1]) Quos versus singulos affert Firnhaberus, quibus sententiam suam comprobet, eorum multi et ad tempus quod ipse dicit et ad bellum ipsum referri possunt; nonnulli facilius ad bellum transferendi sunt, quam ad tempus a Firnhabero constitutum. Ut enim hoc afferam, quod laudat v. 415 sqq. eosque respiciens dicit, Euripidem provinciam suscepisse adhortandi cives, ut Pericli obsequerentur neve proderent eum, hi versus multo magis eo referendi sunt, quod invasione facta Lacedaemoniorum, Athenienses de Pericle indignabantur in eumque magnum odium habebant. Sed quum longum sit, singula huiusmodi persequi, hoc iam mittamus, quoniam demonstrasse mihi videor, non probari posse Firnhaberi de tempore editae fabulae opinionem.

Neque Pflugkii de Euripide meritissimi sententia de Heraclidarum tempore quamvis breviter exposita non digna est, quae commemoretur. [2]) Huic viro non singula verba, sed universam tragoediam perpendenti videtur fabula non tam ad Argivos, quam ad Lacedaemonios pertinere. Documenta habet facinus nuntii Coprei, quod ad *τὸ Ταινάριον ἄγος* spectare putat, oraculum Eurysthei et mentio facta Lacedaemonis. Tamen certum tempus definire non audet, id solum affirmare posse sibi videtur, hanc fabulam non prius editam esse Olymp. 87, $^2/_3$ nec multo recentionem esse Olymp. 88, 2. Hoc facile largior viro moderatissimo,

[1]) Cf. Pflugk: Heraclidae p. 23 — v. 371 et infra §. 5.

[2]) „Euripidis tragoediae" rec. Pflugk. ed. II, quam cur. R. Klotz. Cf. Vol. 1 Sect. IV praef. Heraclidarum p. 22.

sed si penitus fabulam perspicere volumus, angustius temporis spatium nobis definiendum est. Atque puto, signa etiam esse, quibus tempus accuratius describere possimus. Quare nunc tandem hoc instituamus.

Mea quidem opinio est, scriptam esse hanc fabulam post primam Peloponnesiorum in Atticam irruptionem Ol. 87, 2. Hanc sententiam antequam largius explanem necesse habeo breviter exponere, qualis eo tempore rei publicae Atheniensium fuerit status et conditio, ut inde, quem finem poeta sibi proposuerit, facilius ostendi possit.

---

§. 4.

Qualis tempore doctae fabulae proposito rei publicae Atheniensium fuerit status et conditio adumbratur.

Lacedaemonii quum longum tempus invidissent rebus Atheniensium magnopere auctis tandem opportunam belli occasionem putabant invenisse, ubi bello Corcyraeorum et Corinthiorum exorto Athenienses auxilium tulerunt Corcyraeis et cum Corinthiis dimicaverunt. Huc quum accessisset Potidaeae, Corinthi coloniae, et Atheniensium discidium, tum omnes Peloponnesii: rupisse, aiebant Athenienses foedus triginta annorum, non iam tolerandam esse eorum superbiam, sed bellum inferendum. Concione Lacedaemonem convocata, quum Athenienses graviter accusavissent, edixerunt omnes uno Archidamo adversante bellum esse suscipiendum. Prius autem, quo maiorem, si reiicerentur, belli speciem haberent (Cf. Thuc. I c. 126), legatos miserunt Athenas poscentes primum ut facinus in eorum deam commissum expiarent, (Id. I, 126) deinde ut Megarensibus portus Atticos aperirent, tum obsidionem Potidaeae solverent et omnes civitates subiectas liberarent (Id. I. 129). Athenienses vero dicentes Lacedaemoniis ipsis piandam esse scelus apud Taenarum commissum et quod in supplicio Pausaniae

peccassent (Id. I, 128) legatos reiecerunt. Lacedaemonii alteram miserunt legationem: pacem servatum iri, si Athenienses concederent, Graecos suis ipsorum legibus civitates suas constituere. Tum, quum multi cives pacis amantes cedere vellent, Pericles progressus dixit: non obsequendum esse Lacedaemoniis; illos sibi iniurias fecisse, quibus si in una quamvis parva re concessissent, hoc iam fore servitium; et exposuit, quo magis civium animos augeret, quibus potissimum rebus praestarent Athenienses Lacedaemoniis: insuetos esse Lacedaemonios longinquorum bellorum, pugnae navalis esse inscios et pecunia, quod summum esset in bello, non valere; se egregie instructos esse pecunia et totius maris tenere imperium; in campo quidem aperto ipsos cum Lacedaemoniis dimicare non posse, sed recedendum esse ex agris et urbem firmandam; ne vero deplorarent cives domus suas et agros, iis enim vastatis non hostes sibi imperaturos, sed se illis. Tali oratione Pericles cives commovit, ut legatis reponderent: se Megarensibus portus aperturos esse, quum ipsi desiissent Lacedaemonii, peregrinos expellere, civitates liberas reddituros, quum et illi permisissent, alienas civitates suis ipsorum legibus uti neque recusaturos, quominus iudicium commune controversias suas discerneret (Id. I, 140—145).

Ita conditionibus de pace ineunda disturbatis, Peloponnesii bellum inceperunt. Archidamus Lacedaemoniorum rex suos sociorumque milites in Peloponneso collegit. Inde ultimam legationem Athenas misit sperans Athenienses cessuros esse, quum ex propinquo conspicerent exercitum. Illi ne audiverunt quidem legatos nec urbem eos intrare siverunt, ruri autem habitantes se suaque omnia in urbem portabant. Tum hostes fines Atticos invaserunt et nullo resistente Eleusinium campum et Thriasium vastarunt; inde Acharnas usque progressi consederunt. Quum vero agri in ipsorum Atheniensium conspectu vastarentur, magnus in urbe exstitit motus, aliis dicentibus erumpendum esse, aliis remanendum; et omnes succensebant Pericli ut omnium

malorum auctori. — Pericles autem consilium semel susceptum retinens et saluberrimam suam sententiam esse censens neque concionem convocavit neque alium civium conventum habuit hoc prohibiturus, ne libidinem magis quam rationem secuti perniciosa consilia caperent (Thuc. II. 22); nihil maioris momenti suscepit, nisi quod classem in Peloponnesum misit, ubi Athenienses Elidem aliosque agros vastaverunt. — Lacedaemonii quum pugnae copia non daretur, tropaeo statuto domum redierunt. — Tum Athenienses in fines Megarensium invaserunt agros vastantes, et navibus in Aeginam traductis incolas expulerunt exprobrantes, non in minima eos culpa esse, quod bellum ortum esset. — Etenim infelicem existimabant Athenienses hunc primum belli annum et quamquam Pericles iis praedixerat, non detrimento fore agrorum vastationem, tamen quum oculis viderent, iudicabant perniciem.

Hoc tempore Euripides Heraclidas fabulam scripsisse videtur et eo quidem consilio, ut Periclis de bello suscepto consilia probaret, sed perstringeret etiam aliqua ex parte, tum ut demissos civium animos erigeret et excitaret, ut in deorum auxilio fiduciam ponerent.

---

§. 5.

Sententia proposita explicatur et ex fabula probatur.

Quum ante bellum Peloponnesiacum exortum ultima Lacedaemoniorum legatio Athenas venisset, cui nisi obsequerentur Athenienses, pacem servari non posse dixerunt, tum quamquam multi ad pacem inclinabant, tamen facile Periclis oratione commoti sunt, ut legationem reiicerent. Peracto vero primo belli anno, quum calamitatibus Athenienses essent percussi, multos poenituit, quod Pericli concessissent eumque accusaverunt cives ut belli auctorem et fontem omnium, quibus afflicti essent, calamitatum. Ab hoc probro poeta ut Periclem purget et ostendat civibus,

suo iure eum bellum suasisse dignumque fuisse maiorum gloria, quod Athenienses bellum susceperint, in scenam inducit legatum Athenas missum impudentes afferentem postulationes; quam legationem poeta ita instituit, ut unusquisque spectantium recordetur de legationibus ante bellum exortum a Lacedaemoniis missis earumque immoderatis conditionibus. Copreus, superbus Argivorum legatus, poscit ab Atheniensibus, ut Heraclidas e finibus suis expellant: Lacedaemonii postulaverant, ut Athenienses scelus Cylonis expiarent sperantes, Periclem, oriundum ex Cylonis genere, ab Atheniensibus expulsum iri. — Copreus praedicat, omnes reges, ad quos Heraclidae profugerint, Argivorum minis et potentia perterritos eos eiecisse: Lacedaemonii minorum civitatum dominationem vi et potestate sibi usurpaverant et suo ipsorum arbitrio imperium instituerant. -- Postulant Argivi, ut etiam Athenienses voluntati suae cedant et exsequantur, quod ipsi imperaverint minitantes, si recusent, dimicandum iis esse cum praepotenti Argivorum exercitu: idem proposuerant Lacedaemonii dicentes, pacem servatum iri, si Athenienses suo arbitrio obsequerentur. — Illas immoderatas postulationes Demophon Atheniensium rex indignabundus reiicit ut libera civitate indignas: se iis concedentem non iam liberam civitatem gubernare — et turpissimum illud esse. (Cf. v. 286 sqq.). Et chorus celebrat libertatem civitatis, cui non liceat metu perterritae sese subiicere et superborum hostium voluntatem exsequi. — Ut vero tunc libertate indignum existimaverant Athenienses, insolenti hosti cedere, ita — hoc docet Euripides — non ex dignitate Atheniensium fuisse, Lacedaemoniorum immodicis conditionibus obsequi, et bene eos adductos esse, ut reiicerent legatos et tuentes liberam rem publicam, qualem a maioribus recepissent, bellum susciperent.

Huc etiam spectat primum chori carmen (v. 350–380) et memorabile illud dictum (v. 371):

εἰρήνα μὲν ἔμοιγ᾽ ἀρέσκει.

Hoc versu usi multi huius fabulae interpretes tempus, quo edita sit, ita definierunt, ut dicerent, his verbis Euripidem aut significasse, pacem esse, aut cives ad pacem faciendam commovere voluisse; eamque ob causam hanc fabulam alii tempori bello antecedenti, alii paci Niciae opera initae, alii etiam ei tempori attribuerunt, quo Lacedaemoniorum exercitu in Sphacteria insula incluso, Atheniensibus occasio oblata est pacem faciendi. [1]) Sed non recte illi interpretati sunt. Maxime hic locus respondet ei, quod statuimus, consilio Euripidis; hoc enim dicit poeta: placuisse pacem, sed ut bellum susciperent, se coactos esse a Lacedaemoniis nimia postulantibus. Non de pace ineunda dicere Euripidem eo elucet, quod nuntius iam abierat et bellum exortum erat, quum chorus haec verba diceret, tum illud poetae consilium esse, intelligitur ex versibus antecedentibus, ubi chorus exprobrat superbiam hostium et ex sequentibus versibus:

σοὶ δ᾽ ὦ κακόφρων ἄναξ,
λέγω, εἰ πόλιν ἥξεις,
οὐχ οὕτως ἃ δοκεῖς κυρήσεις.

Et respicit poeta Periclem ac statum rei publicae dicens (v. 415—419):

καὶ νῦν πυκνὰς ἂν συστάσεις ἂν εἰσίδοις,
τῶν μὲν λεγόντων, ὡς δίκαιον ἦν ξένοις
ἱκέταις ἀρήγειν, τῶν δὲ μωρίαν ἐμοῦ
κατηγορούντων· εἰ δὲ δὴ δράσω τόδε,
οἰκεῖος ἤδη πόλεμος ἐξαρτύεται.

Ut in fabula Demophon Iolao miseram suam conditionem explicat, ita vere ante spectatorum oculos proponitur Periclis causa. Ut Atheniensium discordia effingitur, aliis alia dicentibus et Demophon ipse hospitibus auxiliaturus civium odium excitat, ita quum Peloponnesii in Atticam invasissent, magnus ortus est in urbe motus, aliis postulantibus erumpendum esse, aliis remanendum. Pericili au-

[1]) Cf. Firnhaber l. c. p. 25, Boeckh l. c. p. 90.

tem civitati summopere prospicienti omnes succensebant; ad quam causam Demophon dicit (v. 422):

κἀγὼ πολίταις μὴ διαβληθήσομαι.

Sed hoc loco Euripides Periclem quodam modo vituperare videtur adiicientem faciens Demophontem (v. 423 sq.):

οὐ γὰρ τυραννίδ' ὥστε βαρβάρων ἔχω
ἀλλ' ἢν δίκαια δρῶ, δίκαια πείσομαι.

Ut Demophon, quamquam pia erat facturus, tamen civium voluntatem audit, ita et Periclis esse, non suo ipsius arbitrio res publicas ordinare; etenim non ut tyrannidem accepisse eum Atheniensium dominationem neque nisi ipse aequus esset, aequum civium iudicium audire posse. Haec dicens poeta illud Periclis perstringere videtur, quod Thucydides (II. c. 22) narrat: Periclem, quum videret, aegre ferri rerum statum, quem ipse instituerat, non civium concionem convocasse neque quidquam cum iis communicasse. Thucydides optimatum causae favens hoc videtur probare; Euripides popularis potestatis amicus vituperat; ut et Atheniensium re publica et gubernatore indignum.

Alterum huius fabulae proposuimus finem, ut erigerentur civium animi. Quum Athenienses afflicti calamitatibus primae Lacedaemoniorum irruptionis animis defecissent, tale poeta fabulae docendae elegit argumentum, quo recordarentur de maiorum suorum belli gloria et ad alacritatem rursus excitarentur. Praebetur spectatoribus totius belli decursus: Inducitur legatus, reiiciuntur conditiones, paratur bellum ab utraque parte. Praepotens est hostis et magno exercitu validus; neque desperant Athenienses; sui ipsorum et deorum fiduciam habentes ad hostem contendunt. Macaria sponte vitam offert pro salute suorum et Atheniensium, aeternam gloriam sibi ipsi parans et praeclarum exemplum prodens posteris; Eurystheus contra, hostium dux, quominus proelium committat singulare ignavus recusat. Exercituum fit concursus; aliquantum pugna stat; tum vero Athenienses aciem perrumpunt; profugantur hostes, dux ipse capitur ab Iolao, qui quamvis annis confectus prohi-

beri non poterat, quominus pugnae interesset. — Hae erant res ab Atheniensium maioribus gestae, quae in scenam productae sine dubio bellum significant. Ad magnum autem, opinor, ardorem inflammatos esse spectatores, auctos demissos Atheniensium animos et excitatos esse ad maiorum res gestas bellique gloriam adaequanda.

Commemorandum est hoc loco, quanta similitudo intercedat inter irruptionem Argivorum, in fabula nostra descriptam, et Lacedaemoniorum, quam Thucydides narrat, incursionem. Thuc. II. c. 10, 12 refert: Peloponnesios in Isthmum convenisse ibique legatis Athenas missis exspectasse, si Athenienses, quum hostes ex propinquo viderent, conditiones propositas acciperent; et c. 18 dicit: Archidamum consedisse in finibus Atticae circum Oenoen sperantem, Athenienses etiam tunc consilia sua esse commutaturos. Cum hac Thucydidis narratione si confers Coprei verba (v. 276—279):

μυρίοι δέ με
μένουσιν ἀσπιστῆρες Εὐρυσθεύς τ' ἄναξ
αὐτὸς στρατηγῶν· Ἀλκάθου δ' ἐπ' ἐσχάτοις
καραδοκῶν τἀνθένδε τέρμασιν μένει.

et Demophontis (393—397):

πεδία μὲν οὖν γῆς εἰς τάδ' οὐκ ἐφῆκέ πω
στρατόν, λεπαίαν δ' ὀφρύην καθήμενος
σκοπεῖ, δόκησιν δὴ τόδ' ἂν λέγοιμί σοι,
ποίᾳ προσάξει στρατόπεδον τ' ἄνευ δορὸς
ἐν ἀσφαλεῖ τε τῆσδ' ἱδρύσεται χθονός.

facile credas, accommodatam esse hanc descriptionem ad veram Lacedaemoniorum irruptionem; quare inde etiam coniicias, haud multo post bellum exortum scriptam esse fabulam.

Ut vero ad deorum fiduciam cives commoveat, effingit poeta Athenienses pios et in deorum tutela versantes, maleficos autem et sceleratos proponit hostes eosque iis se maculantes facinoribus, quae Lacedaemonii commiserant. Argivos expellentes faciens Heraclidas et persequentes ad-

monet de peregrinorum expulsione, quam Pericle auctore Athenienses obiecerant Lacedaemoniorum legatis (Cf. Thuc. I. c. 144); Copreum effingens supplices a Iovis ara divellentem in memoriam revocat scelus in Pausaniam commissum, quod Thucydides enarrat l. I. c. 128—134 et nefandum, quod ad Taenarum patratum erat, facinus. De quo facinore refert Thuc. c. 128: Lacedaemonios quondam servos, qui supplices ad Neptuni aram consedissent, e templo elicuisse et elicitos necasse. Ad hoc maleficium sine dubio accommodatum est illud Coprei (v. 257):

σὺ δ' ἐξόριζε, κᾆτ' ἐκεῖθεν ἄξομεν.

Tantis sceleribus imbuti proponuntur Lacedaemonii et digni, qui in modum Eurysthei poenis divinitus immissis afficiantur. Atheniensibus autem auxiliantur dii: Iolaus hospitum studio incitatus exlamat (v. 349—352):

τῶν μὲν γὰρ Ἥρα προστατεῖ Διὸς δάμαρ,
ἡμῶν δ' Ἀθάνα. φημὶ δ' εἰς εὐπραξίαν
καὶ τοῦτ' ὑπάρχειν, θεῶν ἀμεινόνων τυχεῖν
νικωμένη γὰρ Παλλὰς οὐκ ἀνέξεται.

quae verba facile magno spectantium plausu sunt recepta. Hercules de coelo residit et eduntur miracula ad puniendos Atheniensium hostes. — In extrema fabula Alcmena, Herculis mater et Lacedaemoniorum gentis parens, conspicitur Eurystheum captum necare cupiens; prohibet nuntius, qui Eurystheum adduxit, dicens (v. 961, 966):

οὐκ ἔστ' ἀνύστον τόνδε σοι κατακτανεῖν —
οὐχ ὅντιν' ἄν γε ζῶνθ' ἕλωσιν ἐν μαχῇ.

Haec verba spectare videntur ad res initio belli factas. Quum irruptione in Plataeas a Thebanis facta Plataeenses multos Thebanos cepissent, Athenienses missis legatis sociam civitatem vetuerunt captos interficere; quae res eo maioris fuit momenti, quod internecio a Plataeensibus edita — quoniam sero advenerant Atheniensium legati neque facinus prohiberi poterat — initium fuit belli Peloponnesiaci (cf. Thuc. II. 2—6). Quod autem Alcmena captum Eurystheum interficere studet, eo pertinere videtur,

quod Lacedaemonii initio belli Athenienses eorumque socios in mari Peloponnesiaco navigantes capiebant et interficiebant (Id. II. 67); neque necesse est, illud referri ad Plataeensium internecionem, quae a Lacedaemoniis edita est anno 428 [1]; immo vero equidem persuasum habeo, eo referri non posse. Nam illa internecio brevi temporis spatio intermisso consecuta est stragem Mytilenaeorum ab Atheniensibus illatam, et Lacedaemonii necantes Plataeenses hoc Atheniensium facinus ulti sunt; quare poeta illud significans huius quoque sceleris ab Atheniensibus patrati spectatores commonefecisset. Ex hoc coniicere licet, scriptam esse hanc fabulam ante annum 428 et post bellum Peloponnesiacum exortum.

Tum Eurystheus gratiam referens Atheniensibus, quod sibi pepercerint et ulciscens Alcmenae facinus pronuntiat praeclarum illud Atheniensibus gratissimum, Lacedaemoniis infestissimum oraculum, quo haud dubie valde delectati sunt spectatores (v. 1032—1036):

καὶ σοὶ μὲν εὔνους καὶ πόλει σωτήριος
μέτοικος ἀεὶ κείσομαι κατὰ χθονός,
τοῖς τῶνδε δ' ἐκγόνοισι πολεμιώτατος
ὅταν μόλωσι δεῦρο σὺν πολλῇ χερί,
χάριν προδόντες τήνδε.

Haec praedictio omnibus viris, qui de tempore editae fabulae scripserunt, ansam dedit ad tempus definiendum, sed ita, ut alii aliud inde tempus evincerent. Equidem vero perpendens, quo potissimum tempore poeta Eurystheum oraculum illud pronuntiantem fecerit invenisse mihi videor, hoc eum nisi quum Lacedaemonii primum in Atticam irruppissent i. e. Ol. 87, 2 facere non potuisse nec ante hoc tempus nec postea. Non ante bellum exortum poetam hoc finxisse, irruptiones fore ante scientem, iam a priori, ut philosophi dicunt, probabile est; tum etiam hanc propter causam: Euripides si hanc fabulam componens persuasum

[1]) Cf. Pflugk: Heraclidae praef. p. 23.

habebat, Lacedaemonios invasuros esse, hoc quoque — quum in oratione edixisset Pericles (Cf. Thuc. I. 143) et Euripides eius amicus esset eiusque causam sequeretur — certe scire debebat, eos Atticam nullo impediente vastaturos fore; neque eum effugere poterat, id quod et Lacedaemoniorum rex sciebat [1]) et Pericles significaverat [2]), Atheniensibus, qui hoc si non nesciebant tamen non perpendebant, magno incommodo fore agrorum vastationem eosque calamitatem habentes, quum Atticam direptam oculis cernerent, oraculum irritum existimaturos esse. Quare dementer fecisset Euripides et male consuluisset Pericli et Atheniensibus praedicens id, quod brevi post pro falso accepturos esse cives intelligebat. Postea autem irruptione facta, quum Athenienses conditionem suam sedatis animis perpendissent et de vastatione agrorum consolarentur, oraculum, quod tum editum est, aliter iis respiciendum erat et diutius ei fidem tribui, erat probabile. Hoc autem si quis dicat, poetam scribentem fabulam nihil aliud voluisse, quam excitare cives, ut fortiter bellum imminens susciperent neque ullam rationem habuisse belli ipsius, nemo hoc probet. Nam supervacaneum erat, commovere cives ad fortiter bellum suscipiendum, quum iam ipsi a Pericle moniti reiecissent legatos et bellum sibi sumpsissent. Omnino vero multo magis intererat, augere animos incursione hostium demissos, quam alacres et Lacedaemoniorum superbiam ulciscendi cupidos. — Neque post Ol. 78, 2 Euripides hoc oraculum fingere potuit. Nam sequentibus annis maxima incommoda Atheniensibus inferebantur. Proximo anno pestilentia in urbem incidit, quae propter multitudinem hominum, quum ruri habitantes a Lacedaemoniis pulsi in urbem commigrassent, permultos cives consumpsit; unde etiam mores corrumpebantur; leges contemnebantur, publi-

[1]) Cf. Thuc. II. 11.

[2]) Cf. Thuc. I. 143: τὴν ὀλόφυρσιν μὴ οἰκιῶν καὶ γῆς ποιεῖσθαι — εἰ ᾤμην πείσειν ὑμᾶς αὐτοὺς ἂν ἐξελόντας ἐκέλευον αὐτὰ δῃῶσαι.

cae res negligebantur; Pericles ipse accusatus magna pecunia multabatur; posteriore autem anno Pericles mortuus est. Num putas, hoc tristissimo tempore Euripidem fingere potuisse laetissimum oraculum, quum Lacedaemoniorum irruptiones causa fuissent maximae illius miseriae, aut postea, quum Cleonte imperante res publica magis magisque labefactaretur. Ineptum erat, iis temporibus talia confingere. Et omnino haec fabulae pars posterioribus belli Peloponnesiaci annis composita non tam alacritatem quam tristem gravium illorum temporum memoriam spectatoribus afferre debuit. Idem autem si quis ad primum belli annum transferre velit dicens: Lacedaemonios prima iam irruptione agros domusque diripientes Atheniensibus magnam cladem intulisse, is reputet, Athenienses navibus traiectis litus Laconicum populatos esse, Aeginam insulam occupasse, in Megaram irrupisse et cum hostibus ipsis pugnam equestrem feliciter commisisse, et intelliget, Athenienses quamvis vexatos atque percussos primo belli anno non tanto afflictos fuisse incommodo, ut plane animum demitterent et non iam oraculo fidem tribuere possent. Quare haec praedictio nulli anno, quam Ol. 87, 2 accommodatior, immo vero unice accommodata esse videtur.

Postremo ad probandam sententiam meam afferam, quod habeo testimonium extrinsecus quodam modo sumptum. Narrat Diodorus Siculus, Lacedaemonios in Atticam invadentes omnes fere agros populatos esse exceptis iis, qui nomen habeant Tetrapolis; ei autem pepercisse, quod eius incolae maiores suos recepissent et aequum habentes, illorum posteris huius beneficii gratiam referri. [1]) Et huic consentiens scholiastes ad Soph. Oed. Col. dicit: Lacedaemonios, quum reliquam terram vastarent, Tetrapoli pepercisse Heraclidarum causa. [2]) Hoc facto coniicio Euri-

[1]) Diod. Sic. XII. 45.

[2]) Schol. ad Soph. Oed. Col. v. 701.

pidem aliqua ex parte commotum esse, ut oraculum illud Eurysthei componeret et totam Heraclidas fabulam scriberet, ita autem immutans, ut diceret, omnino si Heraclidarum posteri in Atticam irrupissent, perniciei iis fore. Huic vero fictioni nullum tempus magis opportunum esse potuit, quam Ol. 87, 2, quum et poeta prima Lacedaemoniorum incursione veteris illius oraculi admonitus esset et spectatores id ipsum, quod brevi ante suis oculis viderant, in scenam productum summa admiratione atque plausu facile acciperent.

Pars II.

Qua arte Heraclidae compositae sint.

§. 1.

De fabula Heraclidarum, tragoediae nostrae argumento.

Quum ad considerandam tragoediae nostrae artem aggrediamur, primum argumentum ipsum inquirendum est et conferendum cum iis, quae scriptores de Heraclidis memoriae tradiderunt. Hoc enim iam intelligitur poetae ars, et si perspexerimus, quid de fabula quadam sumpserit, quid ipse finxerit vel mutaverit, inde de poetae indole et studiis iudicare licet — Tractavit igitur Euripides hac tragoedia eam fabulam, qua celebrantur Herculis liberi ab Argivis vexati et ab Atheniensibus recepti. De qua fabula brevitatis studiosus paulum docet Thucydides dicens l. I. c. 9.: *λέγουσι τοῖς (Πέλοπος) ἐκγόνοις μείζω ξυνενεχθῆναι Εὐρυσθέως μὲν ἐν τῇ Ἀττικῇ ὑπὸ Ἡρακλειδῶν ἀποθανόντος.* Plura tradidit Antonius Liberalis fab. 33 et Apollodorus; quorum hic Biblioth. II. 8, 1. dicit: Hercule mortuo liberos ad Ceycem aufugisse; inde pulsos per Graeciam eos errasse et postremo venisse Athenas ibique ad Misericordiae aram consedisse. Athenienses autem non prodidisse Heraclidas sed bellum cum Eurystheo subiisse; eius filios in pugna esse necatos, ipsum autem Eurystheum fugientem ad Scironis rupem ab Hyllo cap-

tum et occisum esse. Caput abscisum traditum esse Alcmenae, quae acubus oculos effoderit.

Haec narratio, quamquam plerumque Apollodorus in explicandis veteribus fabulis ipsos poetas tragicos secutus est, quum aliquantum a tragoediae nostrae argumento discrepet, ex alio auctore sumpta esse videtur; quare auctoritatem aliquam habet. Eadem fere narrat Diodorus Siculus l. IV. c. 57 commemorans praeterea socium Heraclidarum, Iolaum et Theseum illo tempore regiam potestatem tenentem. Et Strabo fabulam refert dicens l. VIII. p. 377: *Εὐρυσθεὺς μὲν οὖν στρατεύσας εἰς Μαραθῶνα ἐπὶ τοὺς Ἡρακλέους παῖδας καὶ Ἰόλαον, βοηθησάντων Ἀθηναίων, ἱστορεῖται πεσεῖν ἐν τῇ μάχῃ καὶ τὸ μὲν ἄλλο σῶμα Γαργηττοῖ ταφῆναι, τὴν δὲ κεφαλὴν χωρὶς ἐν τῇ Κορίνθῳ*[1]) *ἀποκόψαντος αὐτὴν Ἰολάου περὶ τὴν κρήνην τὴν Ἀκαρίαν*[2]) *ὑπὸ ἁμαξιτὸν καὶ ὁ τόπος καλεῖται Εὐρυσθέως κεφαλή.* Pausanias I. 44. 14 etiam signi cuiusdam Eurysthei mentionem facit dicens, quum Iovis templum in summo Scironis rupe situm commemoraverit, haec: *Προσελθοῦσι δὲ εἰς τὸ πρόσω μνῆμά ἐστιν Εὐρυσθέως. φεύγοντα δὲ ἐκ τῆς Ἀττικῆς μετὰ τὴν πρὸς Ἡρακλείδας μάχην, ἐνταῦθα ἀποθανεῖν αὐτὸν ὑπὸ Ἰολάου λέγουσιν.*

Haec fere summa est eorum, quae de Heraclidis veteres scriptores tradiderunt. Cum quibus alia Euripidis tragoediae congruunt, alia sunt diversa. Alcmena apud Euripidem aliud facinus committit, aliud ab Apollodoro relatum vidimus. Macariam apud scriptores legimus praeter septuaginta duo liberos virilis sexus unicam Herculis esse filiam — aliter est in nostra fabula cf. v. 544. — Ex fabula, quae erat de Macariae immolatione, ortum esse videtur nomen fontis cuiusdam Macariae, de quo narrant Strabo VIII. 377 et Pausanias I. 32. 5 et dictum illud,

[1]) Corrigendum est: *ἐν Τρικορύθῳ.*

[2]) Pro *Ἀκαρίαν* cum Heinio (ad Apollod. p. 498) scribendum est *Μακαρίαν.*

quod proverbii locum obtinet: *βάλλ' εἰς μακαρίαν*, de quo memoriae prodidit Schol. Aristoph. Eqitt. ad. v. 1151.

Iolaum Heraclidarum socium quum multi scriptores commemorent, admirabilis eius mutationis praeter Euripidem nemo, quod scio, nisi Pindarus mentionem facit. (Pyth. IX. 79.)

Demophontem regem Athenarum fuisse, quum Heraclidae eo fugerent, non tradunt, quos supra attuli scriptores excepto Antonio Liberali. Diodorus Siculus et Pausanias I. 32. 5 narrant, Theseum tum regem fuisse. Consilio poeta a more veterum scriptorum recessisse videtur; etenim quum illi, imprimis Cyclici maxime celebrent Theseum, Euripides Demophontem filium ut sapientem liberalemque regem inducens numerum heroum Atheniensium augere voluisse videtur; res autem descriptae eo maiori gloriae fuerunt civibus, quo propius ad ipsorum tempora Demophon accedebat.

De Coprei, Eurysthei servi, quam Euripides describit, legatione etiam Philostratus narrat dicent (Vit. Soph. II. p. 549): *καὶ τὰς πομπὰς ἔπεμπον πενθούντων δημοσίᾳ τῶν Ἀθηναίων τὸν κήρυκα, τὸν Κοπρέα, ὃν αὐτοὶ ἀπέκτεινον τοὺς Ἡρακλείδας τοῦ βωμοῦ ἀποσπῶντα.* Caedem Coprei, quam non videmus in tragoedia, aut ignoravit poeta aut, ne cives maleficii commonefaceret, dissimulavit. Mihi quidem ex minis Demophontis et chori adhortationibus, ne rex laedat legatum, elucere videtur, satis Euripidem fabulam scivisse, sed reticuisse. — De oraculo contra, quod Eurystheum pronuntiantem facit poeta, non docent scriptores. Hoc poeta non quidem finxisse videtur — nam probabile est, Lacedaemonios, Tetrapoli parcentes, eiusmodi oraculi fuisse memores — sed ita instituisse, ut Eurystheum, ab Atheniensibus defensum et devotum ab Heraclidis, eius autorem faceret.

§. 2.

Quomodo singulae tragoediae partes compositae sint.

Quale Heraclidarum argumentum esset postquam consideravimus, nunc nobis inquirendum est, quomodo poeta hoc argumentum tractaverit et ad tragoediam componendam instituerit. Quod quo magis possimus, singulas partes perlustremus eaeque quomodo inter se connexae sint respiciamus.

De prologorum Euripideorum institutione multi viri docti disputaverunt ita, ut omnes excepto Lessingio poetam vituperarent. Causae, cur Euripides in prologis leges artis scenicae neglexerit, afferuntur complures; principem equidem causam existimem, quod Euripides magis enitebatur, ut spectatores doceret atque singulis tragoediae partibus commoveret, quam ut verae et verisimilis actionis institutione delectaret; tum vero aliis fabulis alias causas accedere. Tamen Firnhaberus de hac tragoedia dicens laudat, hunc prologum non actione destitutum esse. Cuius actionis nihil invenias; non est enim hic prologus, nisi epica rerum explicatio, quae, ut parabasis comicorum, ad auditores solum spectat et minime ad actionem ipsam pertinet. Eo quidem huius tragoediae prologus praestat aliis, quod non aliena persona, sed quae particeps est fabulae, eum enuntiat (v. 1—47).

In altera exordii parte (v. 48—72) pulcherrime describitur saevitia et superbia Coprei, Eurysthei servi, qui potestati suae confidens deos ipsos contemnit. Cui opponitur Iolaus, annis fractus et undique exagitatus, qui ad deos se convertit et Atheniensium, pietate erga deos insignium, auxilium implorat. Chorus Iolai clamore accitus aptissime, ut eius est, inter partes concertantes intercedit et actionem promovet defendens Iolaum, sed controversiam disceptare non audens; quo efficitur, ut Demophon rex prodeat.

Quae nunc sequitur pars (v. 120—287), continet causam iudicialem, quod genus saepissime est apud Euripidem et accuratissime elaboratum. Admiramur gravitatem argumentorum ab utraque parte allatorum et iudicis sapientiam. Videmus utilitatem et iustitiam inter se certantes, Copreo ostendente Eurysthei potentiam, periculum impendens et quam inutile sit, senem invalidum et infantes suscipere, Iolao invocante deum hospitum tutorem et afferente pietatem populi liberi et propinquitatis vinculum, unde auxilium ferre Atheniensium sit officium. Vincit apud Demophontem iustitia. — Non in hunc locum cadit, quod plerumque vituperatur in Euripidis tragoediis, poetam, quo magis populo quotidie in iudiciis sedenti iisque maxime oblectanti serviret, res iudiciales nimis petiisse eaque de causa actionem ipsam neglexisse; nam arte haec pars cum actione est coniuncta et aptissima est ad diversas personarum naturas depingendas. — Mirum est, quod Iolaus simplicibus verbis, nullo attributo adiecto, Demophontis maiores et Heraclidarum enumerat (v. 207—211); eosque versus pedestri sermoni simillimos Aristophanes (Acharn. cf. schol. v. 47) perstringere videtur. Neque Demophon ignorare poterat, qui essent utrorumque patres; quare satis erat, uno verbo afferre, quae necessitudo Demophonti esset cum Heraclidis, nisi forte non tam Demophontem, quam spectatores Athenienses, quae cum Hercule esset cognatio, Iolaus docere voluit.

Tum Copreo profecto chorus minis eius perterritus Demophontem, quid nunc sit agendum, aptissime monet carmine sequenti (v. 353—380). Quod carmen quum non sublimes proferat sententias, ideo vero, ut omnia huius tragoediae carmina, maxime laudandum est, quod artissime cum fabula ipsa cohaeret, neque est ex illis multis chori canticis, quae a fabula ipsa abhorrent nec quidquam ad tragoediam conficiendam praebent. Iste chorus pius summam indignationem de Argivis effundit; detestatur illorum superbiam, insolentiam, impieta-

tem; praedicat autem Atheniensium pietatem et liberam validamque rem publicam; negat unquam Argivos deterrimum consilium suum perfecturos esse.

Diverbium quod sequitur Demophontis et Iolai (v. 381—473) venuste illorum voluntates aperit. Uterque omnibus viribus enititur, ut Heraclidas defendat, sed neuter satis valet ad auxilium parandum. Iolaus vitam ipsam praebet ad servandos Heraclidas, quod reiicit Demophon dicens, inde salutem expediri non posse. Demophontem, exercitum contra hostes ducere paratum, prohibent, quominus auxilium ferat, deorum voluntas et regis officia; etenim non solum hospites sed etiam suos sibi curae habet. Simul poeta conditionem liberae ac bene constitutae civitatis celebrat et boni regis virtutes; quae quidem describens poeta multa dixisse videtur magis Periclis tempora respiciens, quam Demophontis. — Quum ex vatum responso nemo, nisi puella nobili loco nata, Heraclidas servare possit, nunc generosa Herculis filia prodiens vitam suam pro suorum salute sponte devovet.

Hanc praestantissimam actionem (v. 474—607) vehementer Firnhaberus vituperat et omnium dicit talium scenarum hanc esse levissimam. Quod reprehendit, Macariam non satis magna occasione data prodire et levi excusatione, id quidem concedendum est. Opinans autem, poetam melius rem instituisse, si puellam, sedentem in templo, deorum voluntatem audientem fecisset et tum generoso consilio capto prodientem, graviter errat Firnhaberus idque magis mera verba, quam actionem respiciens sibi finxisse videtur; ita enim fecisset poeta multo perversius et omnem actionis vim perdidisset. Marcariam insciam prodire oportebat et spectatores eam videre vatum responsa excipientem et grave consilium capientem; id summum est rei et maxime animos commovet. — Neque recte Firnhaberus reprehendit, quod Macaria recusans, sorti committere, quae filiarum Herculis mortem obitura sit, pronuntiat: *χαρὶς γὰρ οὐ πρόςεστι* (v. 548). Nonne enim ex pa-

tris immortalis dignitate est, quod vitam tradens aeternam gloriam sibi parare neque sincere vult, morte non voluntaria eam detrectari? — A. W. Schlegelius [1]) vituperat, quod Macaria facile a se impetrare possit, ut morti se tradat. Quod haud diu cunctans vitam praebet, auget eius gloriam; quominus autem opinemur, levi animo eam hoc consilium capere, prohibet pulcherrima abiturae oratio, qua deplorat, quod vitae gaudiis non perceptis sibi decedendum sit.

Marcaria ad mortem deducta senes Athenienses pronuntiant clarissimum carmen (v. 608—629), quo aptissime fatum celebratur et potentia deorum hominum sortes gubernantium. Quo absoluto nuntius e pugna accedens mirum quoddam cum Iolao diverbium serit, quod et magnum animum et res ineptas profert. Iolaum, qui iam ante paratus erat vitam tradere pro Heraclidarum salute, tum nuntio allato de proelio instante, cupere, ut pro suis pugnare possit, id quidem pulcherrimum est; sed quod senex debilis opinatur, se Heraclidis pugnantem auxilium ferre posse, humanae naturae est contrarium et ratio, qua pugnam parat, tragoediae minime est accommodata. Iolaus annis fractus Athenienses pugnantes adiuvare vult, proelio instante senili loquacitate tempus terit, ne arma quidem ipse ferre potest et a servo ad pugnam manu deducitur, ut ibi magna facinora faciat — hoc ad comoediam magis, quam ad tragoediam pertinere videtur. Hartungius quidem putat, poetam ita paulatim animos ad miraculum futurum adducere voluisse, dicens: (Eur. rest. I. p. 309) „Tanta animositate, tanto animi vigore repente impletur Iolaus demptis ex pariete templi armis, quae stans in acie induturus est, ut illum natura sua superiorem fore iam nunc divinemus.“ Sed non ita res instructa est, ut spectatores videntes illum senem gloriabundum, in latere

[1]) Vorlesungen über dram Kunst u. Litt. I. p. 172 edit. III., quam curavit Ed. Boecking.

servi arma portantis claudicantem, talia divinent, immo vero credas, non solum servum eum delusisse, sed etiam spectatores risisse. — Mirum etiam est, quod Alcmena laeto Iolai clamore accita, nuntium tamquam inimicum increpat et Heraclidas infirma defendere vult, tum vero, ubi Iolaus de Hylli exercitu percontatur, statim recedit.

Ad περιπέτειαν pervenimus. Postquam chorus terram, lunam, solem, ut laetum de pugna nuntium afferrent, rogavit et Athenarum deae Minervae, ut suis victoriam daret, supplicavit, nuntius prodit de victoria reportata. Praeclarae sunt apud Euripidem nuntiorum narrationes, neque quidquam fere in iis est vituperandum, nisi quod nimis saepe ab Euripide adhibentur. Haec nuntii narratio est eximia (v. 784—891). Si vitiosum est, miracula in fabulis producere, hoc vitium eo minuitur, quod non spectatur Iolai mutatio, sed ex ore nuntii percipitur; atque etiam magis prodigium amovetur ab aspectu, siquidem nuntius non ipse vidit mutationem, sed ab alio audivit. Laudandum etiam est, quod nuntius, ne nimium Alcmenae dolorem excitet — hac enim mente ita facere videtur — immolationem Macariae non attingit nisi leviter. — Mirum autem est atque horribile, quod avia Alcmena, quum ante tum etiam nunc commonefacta, ne uno quidem verbo commemorat Macariam neptem, quum de ceteris sollicite exquirat. Hac re poeta aut Alcmenam immanem describere voluit aut, ne gaudium et luctum commisceret, humanam naturam negligens hanc tristem causam omisit. Nam quod Firnhaberus dicit excusans: nec nuntium nec Alcmenam mortem Macariae comperisse, hoc nihil est; nuntius enim satis dilucide de hominum immolatione dixerat et Alcmenae, cui prospiciendum erat puellis Heraclidis, et antea et maxime tunc cogitandum erat de Macaria absente. Hermannus hanc rem miram ita explicat, ut intercidisse dicat nonnulla post versum 629, quae Alcmenae lamentationes de morte Macariae continuerint.

Extrema tragoediae pars tenuis est, quum ex personis primariis nulla restet, nisi Alcmena certans cum Eurystheo adducto. Offendimur saevitia anus, quae Eurystheum interficere vult et iram suam inimici sanguine satiare. Quod Hartungius excusare, immo vero probare studet dicens: „De quo facto ne inique iudicemus, redeundum est ad veterem de ulciscendi officio sententiam. Recte pieque facit mulier interficiens eum, cuius crudelitate et filius perpetuis laboribus vexatus et nepotes in miseriam egestatemque detrusi et ipsa malis aerumnisque affecta est.“ Sed ne hac quidem defensione facinus excusari potest ac ne probemus illum conatum commovet nos poeta ipse, Eurystheum de fato disputantem faciens et defendentem sua facinora; quo impellimur, ut Eurystheo faveamus et oraculum Apollinis Heraclidis gravissimum probemus.

---

§. 3.

De tragoediae personarum naturis et ingeniis.

Si fabulam aliquam accurate perspicere volumus, etiam nobis considerandum est, quomodo poeta personarum naturas et ingenia descripserit illaeque num sibi constantes sint per omnes tragoediae partes, an contrariae; nam huc quoque referenda est tragoediae ars, quum id agatur, ut vera describantur et verisimilia. — Iolaum poeta effingit verum amicum Herculis, qui liberis eius quam maxime prospicit, qui paratus est, quodcunque possit, pro illorum salute perficere et vitam ipsam profundere. Sed vanum magis, quam verum est, quod imbecillus senex, ut saluti sit Heraclidis, ad proelium festinat. Fortis et de suis solliciti quidem erat optare, ut vires redirent iuvenis, qualis Spartam quondam ceperat (v. 740), insani autem ad pugnandum properare; si, quod unum licet, humanorum

virium rationem habemus, magis prospexisset suis, si infantium tutelae remansisset.

Demophontem spectamus bonum et strenuum Athenarum regem, in quo omnes regis virtutes insunt. Iustus apparet iudex, qui utrique parti dat veniam loquendi et iustitiam tuetur, qui officia sua ac deorum voluntatem praefert utilitati et validarum civitatum foederibus. Generosus fingitur homo, qui deos pie colit, amicitiae et necessitudinis rationem habet et dona in se collata large remuneratur, qui suos diligit nec alios morti dat, ut sibi ipsi paret gloriam. Apparet strenuus dux, qui imperatoris munera ipse administrat et praesto est omnibus necessitatibus. Est denique probus Athenarum gubernator, qui non libidinose regnat, qui omnibus aequum ius praebet et id agit, ut vere libera sit res publica neve alienorum potestate teneatur. Id unum fortasse in hac persona cum Firnhabero vituperandum est, quod consilia sua cum aliis communicans nimis multa loquitur, quo regis dignitas aliquantum minuitur.

Alcmena una ex iis mulieribus esse videtur, quas describens Euripides *μισογύνης* odium suum in mulieres aperit. Fingit Alcmenam morosam, duram, iracundam. Morosam se ostendit, quum ab Iolao laetante accita, nuntium iucunda afferentem ut inimicum increpat et liberorum se defensorem praestat; quae res facile risum excitavit. Dura eo praebetur, quod Macariam ad mortem deductam nihil curat neque meminit eius, quum immolationis mentio fiat. Quid valeant aliorum huius rei excusationes, iam supra vidimus. Quam vero iracunda sit Alcmena, intelligitur extrema fabulae scena, ubi Eurystheum ipsa necare studet; quod, ut vidimus non satis defenditur ab Hartungio et eo est crudelius, quod Heraclidae iam erant servati, nec causa suberat, cur amplius Eurystheum timerent.

Generosissima et fortissima totius fabulae est persona Macariae. Quae tanta est virtute et tam magno animo, ut non de vita desperans — immo vero quamvis miseriis

obruta spem fortunatae vitae retinebat — neque rerum conditione coacta — quum etiam alicui sororum, ut vitam traderet, sorte evenire posset — sed solum suorum amore adducta et verecundia Atheniensium sanguinem effundat.

Non sibi plane constans est persona Eurysthei. Quum in priore tragoediae parte crudelem eum esse audiamus et ignavum in proelio, extrema scena inducimur ad misericordiam et excusationem atque aliqua ex parte etiam fortem eum videmus, si quidem vitam servare non studet et mortem subire paratus est.

Copreus est versutus et nefarius homo, qui nec deorum voluntatem nec hominum iura respicit, qui nullius rei, nisi utilitatis rationem habet et superbus omnia inferiora existimat potentia regis, cuius servus est. — Ceteri nuntii, talium hominum naturis accommodati, sunt loquaces, scurriles, de se ipsis praedicantes, ceterum narrationibus et descriptionibus praestantissimi.

Chorus dignus, qui personam civitatis Atheniensium gerat, est iustitiae amans, Heraclidarum studiosus, deditus Demophonti, patriae amore inflammatus; ubique, id quod rarum est in fabulis Euripideis, actionem consiliis et deliberationibus prosequitur.

---

§. 4.

De universae tragoediae arte.

Aristoteles in praeclaro, quem scripsit, libro: „*περὶ ποιητικῆς*“ de poesis natura atque legibus disputans dicit: tragoediam esse oportere *μίαν πρᾶξιν ὅλην καὶ τελείαν*. Non est ex tragoediae natura, narrationes et descriptiones conferre sed proferre actionem, neque convenit ei, varia serere et inter se connectere, sed una actio tragoedia esse debet. Quae unitas actionis eo maxime servatur, quod

poetae in fabulis scribendis unam personam primariam statuunt, quae sustinet universam actionem. Haec actio etiam esse debet tota et completa; omnes integrae actionis partes contineat oportet et in una quaque parte sit perfecta ita, ut singula perspiciantur; quale est initium, ita actio expedienda est et plane absolvenda, ne quidquam desideretur. — Hanc primariam tragoediae legem respicientes num poeta servaverit, unitatem actionis reperimus in hac tragoedia non obtineri. Unam personam primariam, quae summa sit actionis et totam fabulam sustineat, hic non invenimus. Initio Iolaus est persona princeps; ille primus prodit, summum obtinet locum et ceterae personae ad eum ut personae secundae conveniunt; tum vero actione progressa Iolaus de scena decedit nec redit. Alcmena deinde prodit, quae ante non est spectata et Iolai vices suscipiens primam se gerit actionis personam; omnes personae accedentes ad illam pertinent et nuntii ei afferuntur; ipsa usque ad finem in scena remanet et fabulam absolvit. Ita tota fabula in duas quasi partes et duas actiones dividitur; quarum prima actio continet Iolai defensionem Heraclidarum et auxilii impetrationem, altera praebet Alcmenam proelii et victoriae nuntios accipientem et Eurysthei iniurias ulciscentem. — Quamquam non tantopere peccavit poeta, quam leviter spectanti videatur, et externae fabulae instructionis id magis est vitium, quam rei ipsius. Summa tragoediae est, Heraclidas tam diu ab Eurystheo vexatos et undique pulsos tandem ab Atheniensibus auxilium accipere, quod auxilium prima parte promittitur, altera re ipsa praestatur; unde etiam ab Heraclidis, circa quos omnis actio versatur, poeta fabulae nomen sumpsit. Eo quidem Euripides a poetarum more discessit, quod non eam personam principem fecit, cuius nomen dedit fabulae. Quod quominus faceret, impedimentum fortasse fuit, quod Herculis liberi erant multi et non nisi eorum unus personam primariam agere poterat; tum forsitan poeta praetulerit, Heraclidas infantes et ab aliis

defensos praebere, quo magis spectantium haberent misericordiam, cui plerumque Euripides magnam operam dat. Quare quo tristius esset spectaculum, duos senes elegit: Iolaum, quondam Herculis socium, confectum senectute et infelicem Heraclidarum aviam, Alcmenam anum. Illos Heraclidarum vices gerentes ita poeta distribuit, ut Iolaus priorem partem subeat et ut Heraclidae recipiantur impetret, tum Iolao ad pugnam abeunte Alcmena illius partes obtineat laetos nuntios accipiens et Eurysthei iniurias ulciscens. Quare poeta neque plane observavit neque neglexit omnino hanc de unitate actionis legem constitutam, et recte fecit Zirndorferus Heraclidas iis fabulis attribuens, quae nec unam actionem habeant, nec plures[1]).

Neque plane ὅλη et τελεία est fabula. Illa pulcherrima Macariae res non satis cum ipsa fabula cohaeret, sed vi quadam in eam illata retardat et interrumpit integram fabulae actionem eo tendentem, ut Eurystheus bellum inferens defendatur; et ipsi personarum gradus turbantur, quum Iolaus recedat et Macaria prodeat ut princeps fabulae persona (cf. Linnd. p. 28). Extrema vero scena, diverbio Alcmenae et Eurysthei, non apte fabula absolvitur. Non abhorret quidem haec pars a fabulae summa, neque eam composuit Euripides eo solo consilio, quod Zirndorferus (p. 28) affert, ut auditorum miserationem commoveret; nam et ipsa summam, quam proposuimus, fabulae sententiam aliqua ex parte persequitur, quum Eurystheum nefarium, potentem quondam regem, vinctum videamus et tum ad mortem abeuntem, Athenienses autem oraculo illo Apollinis, ut pietatis praemio, donatos. Sed nimis tenuis est haec pars neque satis grandis, quae fabulam concludat; quare neque valde vitupero, quod dicit Schlegelius (Vorles. I. p. 172): „Die Heracliden gehen kahl aus — es bleibt am Ende Niemand als Alcmene, die sich mit Eurystheus herumzankt."

---

[1]) Cf. Zirndorfer. l. c. p. 29.

Sed etiam aliud, si universam fabulam respicimus, poetae vitio dandum est. Non spectantur in agenda fabula naturarum diversitates, quae si desunt vigens actio et gravis tragoedia esse non potest. Initio quidem contentionem boni et mali videmus, persona Coprei et Iolai sustentam, tum vero Copreo deducto, omnium sunt eadem studia. Omnes apparent boni, omnes muneribus in Heraclidas congerendis inter se certant: Demophon summis viribus nititur, ut Heraclidas servet, Iolaus vitam dare paratus est, Macaria se immolandam praebet et Alcmena, mulier debilis, nepotes audet defendere [1]). Non profertur sententiarum et facinorum repugnantia, non personarum contentiones, quibus actio incitetur, nec contrarietates, quibus impediatur res et expediatur alia ex alia. Hoc respexisse videtur Bernhardyus dicens (P. II. V. II. p. 427): „Nicht nur fehlt eine Zugkraft, sondern auch ein organischer Verband der Scenen, denn die Handlung rückt ohne jede Verwickelung auf gerader Bahn vor." Sola Macariae res aliquid implicationis continet et nuntius de pugna allatus. Inde neque excitantur spectatores et commoventur, nec timor et misericordia, quae Aristotele auctore in tragoediis inesse oportet [2]), hic, ubi res extrinsecus disceptatur neque quidquam videmus nisi nuntium, tanta sunt, quantis perfundimur, si personas contrarias inter se certantes videmus, dubii quaenam certantium victrix sit processura. — Eandem ob causam neque *περιπετείᾳ*, quam dicimus, quamquam gaudio afficimur, magnopere commovemur, siquidem rerum mutationem non ipsi spectamus, sed a servo docemur. Quare iure vitio datum est poetae, quod parum actionis protulisset et nimis multos nuntios induxisset; sed admiramur, quod hanc fabulam simplicem et exilem artificiis tam iucundam gratamque

[1]) Cf. Hartung: Eurip. restit. I. p. 311.
[2]) Aristoteles: Ars poetica c. 6.

reddidit. Quamquam, ut vidimus, haec fabula praestantior est singulis partibus bene effectis, quam universae tragoediae arte, et probatur nostra fabula, quod dicit Iacobsius (Nachträge T. V. p. 400): „Unter den grossen Köpfen, welche die Natur für das Drama bestimmt hat, gibt es einige, denen die Erfindung eines Planes, andere denen die Ausführung und das Detail leichter von statten geht: Euripides gehört zu der zweiten Klasse."

Pars III.

Observationes hermeneuticae et criticae.

§. 1.

De rebus aliquibus, quae ad exteriorem tragoediae institutionem pertinent.

Poetae tragici in fabulis docendis statim initio docere solent spectatores, ubi tragoediae scena constituta sit. Ita etiam in nostra fabula de actionis loco legimus v. 32, ubi Iolaus dicit: *Μαραθῶνα καὶ σύγκληρον ἐλθόντες χθόνα.* Haec satis perspicue dicta esse videntur nec iam dubitationem res haberet, nisi his repugnarent sequentia. Legimus enim v. 37: *ὧν ἕκατι τέρμονας | κλεινῶν Ἀθηνῶν τόνδ' ἀφικόμεσθ' ὅρον*, et paulo post v. 69: *ὦ τὰς Ἀθήνας δαρὸν οἰκοῦντες χρόνον.* Inde coniicias tragoediae actionem constitutam fuisse Athenis, quum hoc quidem incredibile sit, Iolaum Marathone clamantem Athenis exauditum esse. Sed huic iterum repugnat, quod est v. 80: *σὺ δ' ἐκ τίνος γῆς, ὦ γέρον, τετράπολιν | ξύνοικον ἦλθες λαόν.* Plane haec diversissima dicta ad idem referri non posse videntur. Hac autem fortasse via difficultates expediri possunt. Et alii scriptores et Plutarchus (Theseus c. 24) docent, Theseum, Demophontis et Acamatis patrem, Athenas et Tetrapolin uno imperio coniunxisse; itaque etiam filiis regnantibus

Athenarum et Tetrapolis unum regnum erat. Hoc si respicimus, tum iam non mirum est, quod Iolaus, ubi in Tetrapoli consedit, dicit: in fines Atheniensium pervenimus, neque tantopere offendimur, quod incolas Tetrapolis regionis nomine Atheniensium appellet, quum eorum commune caput Athenae sint. Etiam v. 34 sq.: *πεδία γὰρ τῆσδε χθονὸς | δισσοὺς κατοικεῖν Θησέως παῖδας λόγος* significare arbitror, scenam in Tetrapoli fuisse constitutam; etenim Iolaus, Herculis et Thesei socius (cf. v. 215 sqq.), id quidem sciebat, Theseum eiusque posteros reges esse Athenarum; sermone solum audivisse poterat, eorum etiam esse Tetrapolin. Quum praeterea aliis fabulae locis memoretur Tetrapolis, hoc iam constare videtur, in hac regione tragoediam nostram actam esse. Tum haec latior regio accuratius circumscribitur nomine Marathonis [1]); indeque statuendum est, scenam Heraclidarum esse prope Marathona et chorum constitisse e civibus Marathoniis. Neque temere Euripides sibi elegisse videtur hoc oppidum, quod magnae gloriae erat Atheniensibus, de quo ipsi et omnibus temporibus et maxime initio belli cum Peloponnesiis gesti praedicabant atque gloriabantur [2]). — Aram Iovis *Ἀγοραίου* in Tetrapoli fuisse, apud nullum quidem scriptorem invenimus, sed fuisse Athenis; haec autem res nos commovere non potest, ut Heraclidas ad urbem Athenas fugisse opinemur. Immo vero putandum est, in Tetrapoli, cuius incolas Theseus inter se sociavit et communi quodam concilio coniunxit (cf. Plut. Thes. c. 24), ut commune omnium vinculum etiam Iovis aram fuisse, ad quam et sacrificaretur et civium coetus fierent. — Ut vero poeta Tetrapolin regionem Heraclidarum scenam redderet, commoveri potuerit eo, quod, ut fabula ferebat, ibi caput Eu-

[1]) Tetrapolis Ionica continebat oppida Oenoen, Probalinthum, Tricorythum et Marathona.

[2]) Cf. Thuc. I. c. 173: *φαμὲν γὰρ Μαραθῶνι μόνοι προκινδυνεῦσαι τῷ βαρβάρῳ.* — cf. Firnh. p. 26 et p. 31 sqq.

rysthei sepultum erat [1]) et eius regionis fons quidam nomen Macariae acceperat.

2. Mirum est, quod Acamas una cum Demophonte fratre prodit et mutam agit personam. Pflugkius (praef. p. 17) de hac re disputans dicit: hoc eo forsitan excusari, quod poeta ab antiqua fama vulgique opinione, Thesidas fratres simul regni munia obiisse, discrepare non facile posset, neque ei liceret, tertias partes, quae regi fere tribuerentur, dividere. Bothius (Euripides' Werke adnot. ad v. 115), quod chorus (v. 114) de terrae et civitatis rege interrogatus, Demophontem dicit, inde colligit, per vices illos regnum obtinuisse et tunc regem fuisse Demophontem. Firnhaberi autem sententia est (cf. p. 34), ex versu 381 effici, Demophontem tum solum prodiisse; eumque unum Tetrapolis fuisse regem; nihil nisi duos ibi habitasse vel commoratos esse, elucere e v. 35. — Equidem ut hanc argutam Firnhaberi demonstrationem probem, facere non possum neque concedo, *κατοικεῖν* hoc loco nihil esse, nisi Thesidas ibi habitare; id quominus faciam, commovent me et haec verba ipsa et maxime, quod cum iis iungenda sunt sequentia: *κλήρῳ λαχόντας*. Quare libentius faciam cum Pflugkio hoc tenens, ambo Thesidas reges fuisse; Demophon fortasse natu maior fuit; neque multum offendor, quod chorus de rege interrogatus, cum solum dixit, quum tunc in eo esset, ut controversia diiudicaretur, quae res erat unius viri. Hoc concedo Firnhabero, quum Demophon iterum prodiret (v. 381), non prosecutum esse Acamatem, sed apud exercitum remansisse.

3. Ad versum 922 edit. suae (v. 928) Hartungius adnotat: nuntium hoc loco prodeuntem diversum esse ab eo, qui ante prodierit, nam has partes non nisi Atheniensem agere posse. Illud quidem concedo; etenim non est verisimile, servum, qui libertate donatus discessit, eundem

[1]) Ad Tricorythum. Cf. Strabo VIII. p. 377 et supra P. II. §. 1. N. 1.

hoc loco redire, neque quidquam invenimus, unde id coniicere possimus. Hanc autem viri sententiam num probem dubito. Non efficitur, Atheniensem fuisse nuntium eo, quod sciebat Atheniensium de captivis legem constitutam; maiori contra gloriae fuit, si poeta alienum quendam faciebat hanc legem enuntiantem, quo viderent spectatores, etiam ad alias gentes Atheniensium pietatis rumorem pervenisse; opinor autem, futurum fuisse, ut Atheniensis nuntius necem Eurysthei prohibens non reges, sed populum appellaret (cf. v. 964). Et iam per se est probabilius, Iolaum et Hyllum non Athenienses, sed suos servos misisse, qui Eurystheum ad Alcmenam ducerent; ceteros autem, qui legationi intererant, servos fuisse Heraclidarum inde intelligitur, quod Alcmena v. 1050 nomine *δμῶες* eos appellat; quare equidem persuasum habeo, etiam legationis ducem ministrum fuisse Heraclidarum.

4. Kirchhoffius in adnotationibus, quas edit. suae Euripidis affixit (V. II.), ad Heraclidarum v. 629 dicit haec: „Post hunc versum multa desunt; intercidere enim nuntii sive Demophontis de morte Macariae narratio et Alcmenae matris lamentationes cum chori cantico integro; novit hanc fabulae partem auctor argumenti: *ταύτην μὲν εὐγενῶς ἀποθανοῦσαν ἐτίμησαν· αὐτοὶ δὲ τοὺς πολεμίους ἐπιγνόντες παρόντας εἰς τὴν μάχην ὥρμησαν.*“ Sane quidem desideraris nuntium de Macariae morte et Alcmenae lamentationes; sed haec intercidisse, eo quod Kirchhoffius affert argumento non efficitur; nam quod in argumento dictum est, id etiam in fabula ipsa, qualem habemus, legimus et Macariae gloriosa mors celebrata est cantico antecedenti. Equidem ex contrario existimo, post hoc carmen aliud canticum integrum, quo et ipso Macaria laudibus efferretur, esse non potuisse. Huc etiam refert Kirchhoffius, quae ex Euripidis Heraclidis apposuit Stobaeus LXXIX 3. III p. 92 et auctiora Orion anth. 6. 7. p. 56:

ὅστις δὲ τοὺς τεκόντας ἐν βίῳ σέβει
ὅδ' ἐστὶ καὶ ζῶν καὶ θανὼν θεοῖς φίλος

ὅστις δὲ τὼ φύσαντε μὴ τιμᾶν θέλει
μή μοι γένοιτο μήτε συνθύτης θεοῖς
μήτ' ἐν θαλάσσῃ κοινόπλουν στέλλοι σκάφος.

Hos versus nescio quo referam; fortasse sunt pars nuntii cuiusdam de morte Macariae allati. Quam autem conferre iubet Kirchhoffius adnotationem scholiastae ad Aristoph. Equitt. v. 1151, ex ea nihil demonstrari potest[1]), neque quidquam certi inde efficitur, quod scholiastes adnotavit ad Aristoph. Equitt. v. 214, de quo iam supra diximus[2]). Ad haec interruptae fabulae testimonia adiecit Nauckius versus, quos cum lemmate *Εὐριπίδης Ἡρακλεῖ* habet Stobaeus Fl. VII. 9. I. p. 175, omisso et poetae et fabulae nomine citat Plutarchus mor. p. 447:

τὸ μὲν σφαγῆναι δεινὸν, εὔκλειαν δ' ἔχει.
τὸ μὴ θανεῖν δὲ δειλὸν, ἡδονὴ δ' ἔνι.

(Cf. Kirchh. l. c.). Ex his sparsis versibus, et scriptorum dictis quid sit statuendum dubium est. Equidem magis inclinem ad Hermanni sententiam, quam perscripsit A. Matthiae vol. VIII p. 257 his verbis: „Fabulae extrema pars videtur intercidisse, in qua fieri non poterat, quin de Macaria referretur eaque res solitis celebraretur lamentis.“

---

§. 2.

De locis aliquibus dubiis aut suspectis.

1. V. 37 sq.:

ὧν ἕκατι τέρμονας
κλεινῶν Ἀθηνῶν τόνδ' ἀφικόμεσθ' ὅρον.

[1]) Schol. ad Arist. Equitt. v. 1151: οἱ δὲ τὴν Μακαρίαν θυγατέρα φασὶ τοῦ Ἡρακλέους. ἥ γε κατὰ τὴν ἐπὶ τὰς Ἀθήνας Εὐρυσθέως στρατείαν, τῶν Ἀθηναίων μὴ ἐκδιδόντων αὐτῷ τοὺς Ἡρακλείδας πρὸς τὸν τοῦ Ἐλέου βωμὸν καταφυγόντες, χρησμοῦ δοθέντος, τοὺς Ἀθηναίους νικήσειν, εἴ τις τῶν Ἡρακλειδῶν πρὸς θάνατον ἑκούσιον ἐκδῷ ἑαυτὸν, κατέσφαξεν ἑαυτὴν, ὡς ἐν Ἡρακλείδαις Εὐριπίδης.

[2]) Cf. P. I. §. 3.

Hanc miram lectionem, quae est in codd., H. Stephanus, quem Pflugkius secutus est, sanare voluit scribendo: *τήνδ' . . . ὁδόν*. Sed non vitii originem ii invenisse videntur. Suspicor, *ὅρον* in textum irrepsisse ex adnotationibus grammaticorum *τέρμονας* explicantium voce *ὅρον*; et inde puto, *τόνδε* de coniectura scriptum esse pro *τῶνδε*, quod pertineret ad *Ἀθηνῶν*. Quare in universum probo Kirchhoffii[1]) coniecturam, qui mavult scribi: *τοῦσδ' ἀφικόμεσθα νῦν*, quamquam pro *τούσδε* scribendum esse coniicio *τῶνδε* (*Ἀθηνῶν*), quod magis respondere videtur antecedentibus, et vocabulo *νῦν* praeferam *δή*, quod aptius referri possit ad tempus praeteritum, ut nunc scribatur:

ὧν ἕκατι τέρμονας
κλεινῶν Ἀθηνῶν τῶνδ' ἀφικόμεσθα δή.

2. V. 179 sq ... non ut scripserunt Elmsleius, Kirchhoffius, Nauckius, Hartungius tribuendi sunt choro, sed ut est in codd. et Klotzius (in editione Pflugkii) restituit, Demophonti. Hoc et res, quae spectatur, iudiciaria poscere videtur et respondet dignitati regis. Ille enim, si cum illis viris partes distribuimus, plane subiectus esse videtur choro, qui primum regem nihil dicentem monet, ut audiat Iolaum, tum audito eum iubet Iolai misereri et de iis, quae dixerit, recordari.

3. V. 312 sqq.:

σωτῆρας ἀεὶ καὶ φίλους νομίζετε
καὶ μήποτ' εἰς γῆν ἐχθρὸν αἴρεσθαι δόρυ
μεμνημένοι τῶνδ', ἀλλὰ φιλτάτην πόλιν
πασῶν νομίζετ'. ἄξιοι δ' ὑμῖν σέβειν.

Constructio horum versuum magis dura et contorta mihi esse videtur, quam quae Euripidi tribui possit. Ac primum quidem mirum est, quod Iolaus primo affirmative loquitur, tum negative, tum iterum affirmative; deinde quod in prima sententia est imperativus modus (*νομίζετε*),

[1]) Eur. trag. V. II. Heraclidae; cf. adn. ad hunc versum.

inde infinitivus (*αἴρεσθαι*, pro imperativo) et tum denuo imperativus (*νομίζετε*). Huc accedit, quod prima sententia iisdem fere verbis repetitur, quum ante legamus: *φίλους νομίζετε*, hic *φιλτάτην..νομίζετε*. Inde coniicio, hoc dictum: *ἀλλὰ φιλτάτην πόλιν | πασῶν νομίζετ'* interpositum esse a librario, qui vetito illi: *μή ποτ' αἴρεσθαι δόρυ* contrarium aliquod opponere voluit. Haec coniectura eo firmatur, quod hoc dictum verborum et sententiarum nexum interrumpit, eiecto autem dicto illo transitus est facillimus.

4. V. 395 sqq.:

σκοπεῖ, δόκησιν δὴ τόδ' ἂν λέγοιμί σοι
ποίᾳ προσάξει στρατόπεδόν τ' ἄνευ δορὸς
ἐν ἀσφαλεῖ τε τῆσδ' ἱδρύσεται χθονός.

Maxime dubius est iste locus, quum nec librorum lectio servari possit, nec quidquam eorum, quae coniectura proposita sunt, probari posse videatur. Libri habent: *ποίᾳ προσάξει στρατόπεδον τὰ νῦν δορός*, quod rectum esse non potest, quum non sit quo *δορός* referatur. Qua de causa Musgravius coniecit scribendum esse: *ποίᾳ προσάξει στρατόπεδον τ' ἄνευ δορός*, quod receperunt Elmsleius et Nauckius; sed neque hoc bonum sensum praebet. Orellius (append. ad Isocr: *περὶ τῆς ἀντιδόσεως*) hunc locum sanare voluit vocabulorum ordinem immutans scribendo:.... *τὰ νῦν χθονὶ | Ἐν ἀσφαλεῖ τε τῆσδ' ἱδρύσεται δορός;* quae scriptura nec ipsa, quum vitium ex uno versu in alterum transferatur, probari potest, Pflugkius suspicatur, poetam scripsisse: *ποίᾳ προσάξει στρατόπεδον τά νῦν, γέρον;* sed abundat hoc loco neque satis grave est vocabulum *γέρον*. Nimis ad libidinem faciens Hartungius scripsit: *ποῖ δὴ προσάξει στρατόπεδον, τέμνειν δρύας* — Venit mihi in mentem, fortasse pro (*τὰ νῦν*) *δορός* scribendum esse *ὅροις*. Iam ante v. 288 chorus de finium transgressione dixerat atque hoc et antecedentibus versibus respondet et sequenti, si scribitur v. 396 sic:

ποίᾳ προσάξει στρατόπεδον τὰ νῦν ὅροις.

5. V. 643: *ἔξελθ' ἄκουσον τοῦδε φιλτάτους λόγους.*

Pro *τούσδε*, quod est in libris, Elmsleius scripsit *τοῦδε* idque post eum in textum receperunt Kirchhoffius et Nauckius. Equidem puto servandam esse scripturam codicum itaque facio cum Hartungio et Klotzio; atque recte dicit Klotzius: non personam nuntii tam efferendam fuisse oratione, quam illud ipsum, quod ille nuntiet. Sed etiam firmior fit haec lectio, si scenae conditionem respicimus. Alcmena in scena non est; quare Iolaus, ubi nuntium ex servo Hylli audivit, gaudio perfusus exclamat et accit Alcmenam, ut hunc, quem ipse acceperit, laetum nuntium audiat. Iolaum servum commemorare nihil intererat, quum Alcmena eum non videret et *τοῦδε* eum dicere non est probabile, nisi servum, qui laeta dicere posset, Alcmenae praesenti ostenderet. Itaque legendum esse existimo:

ἔξελθ' ἄκουσον τούσδε φιλτάτους λόγους.

6. V. 661 sq.:

ἀτὰρ τί χώρᾳ τῇδε προςβαλὼν πόδα
ποῦ νῦν ἄπεστι;

Pro *ποῦ* Hartungius Elmsleium secutus scribit *παῖς* et ad probandam hanc mutationem dicit in adnotatione: Das Ueberlieferte liesse sich als Doppelfrage wohl erklären, wenn nur von dieser Doppelfrage nicht die eine Hälfte sinnlos wäre. Denn nachdem Alkmene bereits vernommen hat, dass Hyllos angekommen sei, kann sie nicht mehr fragen, wo er sei? sie kann bloss fragen, warum er, wenn er angekommen, nicht hier, bei ihr sei; wo er denn sei, ist gleichgiltig.“ Non intelligo, qui ille vir doctus emendationem suam tali explicatione probare possit; nam si servus dixerat, Hyllum in Attica esse, non ubi esset, eo usque definierat, ut Alcmena quaerere iam non posset, ubi versaretur; neque nihil, ubi esset, intererat. Quare puto, servandam esse codicum lectionem *ποῦ*, et existimo nos etiam supersedere posse coniecturis Kirchhoffii et Nauckii, quorum ille *οὔπω πάρεστι* scribi vult, hic pro *ποῦ* aut *τὸ* aut *παῖς* reponendum esse suspicatur.

7. V. 752 sqq.:

ἰαχήσατε δ' οὐρανῷ
καὶ παρὰ θρόνον ἀρχέταν
γλαυκᾷ τ' ἐν Ἀθάνᾳ.

Extremi versus lectio valde dubia est. Libri habent *γλαυκᾷ τ' Ἀθάνα*. Quod quum rectum esse non posset Nauckius hoc quod habemus: *γλαυκᾷ τ' ἐν Ἀθάνᾳ* scripsit. Pflugkius proposuit: *γλαυκᾶς τ' ἐν Ἀθάνας* dicens, librarios, quum scriptum esset: *γλαυκᾶς τ' ἐν Ἀθάνας* videri putavisse, se videre *γλαυκᾶι τ' ἐν Ἀθάναι*. Pflugkii scripturam etiam habet Hartungius. Neque ipse improbarem hanc lectionem, nisi offenderer, quam haec lectio continet, constructionis discrepantia. Antecedentes enim versus ita instructi sunt, ut exprimatur, quo tendat illud *ἰαχεῖν* et motum continent. Chorus dicit: Clamorem extollite ad coelum (h. e. tantum clamorem, ut ad coelum perferatur), extollite in solium Iovis; tum vero si sequatur: clamate apud Minervam (prope Minervam stantes), hoc neque verum est neque ex chori sensu dici potest. Quare coniicio, pro *ἐν* scribendum esse *ἀνὰ*, quae mutatio et facilis est et istam difficultatem tollit, ut nunc legamus:

γλαυκᾶς τ' ἀν' Ἀθάνας.

8. V. 1005 sqq.:

οὔκουν σύ γ' ἂν λαβοῦσα τὰς ἐμὰς τύχας
ἐχθροῦ λέοντος δυσμενῆ βλαστήματα
ἤλαυνες ἂν κακοῖσιν, ἀλλὰ σωφρόνως
εἴασας οἰκεῖν Ἄργος.

Pro *εἴασας* coniicio scribendum esse: *εἴας ἄν*, quum et verborum constructio particulam *ἄν* poscat et pro aoristo tempus imperfectum, quod respondeat antecedenti *ἤλαυνες*, esse oporteat. Itaque puto legendum esse:

εἴας ἂν οἰκεῖν Ἄργος.